MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80447-17

AUTHOR:

COURCEL, ALPHONSE

TITLE:

DE MUTATIONE LIBERTATIS GERMANICAE...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1858

Master Negative #

91-80447-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Courcel, Alphonse Chodron de, *baron,* 1835–

... De mvtatione libertatis germanicae qvoad fvndandam principvm svperioritatem in territoriis regni tevtonici dissertatio. Bonnae, Impr. formis C. Georgi, 1858.

lxxv p. 23½cm.

Dissertation note on p. iij.
Inaug.-diss.—Bonn.
Vita.

1. Germanic tribes—Pol. & govt. 2. Law, Germanic.

10-25911†

Library of Congress JC41.C8

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 02.12.1992 INITIALS Emilian
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

AL . CH . DE . COURCEL

DE . MVTATIONE . LIBERTATIS . GERMANICAE QVOAD . FVNDANDAM . PRINCIPVM . SVPERIORITATEM IN . TERRITORIIS . REGNI . TEVTONICI

DISSERTATIO

IMPR . FORMIS . CARL . GEORGI . BONNAE . MDCCCLVIII.

DE . MVTATIONE . LIBERTATIS . GERMANICAE QVOAD . FVNDANDAM . PRINCIPVM . SVPERIORITATEM IN TERRITORIIS . REGNI . TEVTONICI

DISSERTATIO . INAVGVRALIS
QVAM . CVM . THESIBVS . ADIECTIS . AVCTORITATE . INL .
ICTORVM . ORD . ALMAE . LIT . VNIV . RHENANAE . AD
SVMMOS . IN . VTR . IVRE . HONORES . RITE . IMPETRANDOS
DIE . XI. M. AVG. A. MDCCCLVIII . HORA . XII.
DEFENDET

AL. CH. DE . COURCEL
FRANCVS

ADVERSARIORVM . PARTES . SVSCIPIENT

IOS. DE . BUYNO . STVD. IVR.
M. G. RATKOWSKY . DR. IVR.
FERD. EICH . STVD. IVR.

VIRO . CLARISSIMO

FERDINAND . WALTER

IVR. VTR. D. PROF. PVBL. ORD.
REGI. BORVSS. AB. INT. IVST. CONSILIIS
INST. FRANCICI . SOCIO
EQVITI . LEGIONIS . HONOR.
AC . PLVRIVM . INL. ORDINVM
VASTAE . ERVDITIONIS . VARIETATE . ET . ELEGANTIA
HVMANITATE . FIDE
ORNATISSIMO
HOC . OPVSCVLVM
PIO . GRATOQVE . ANIMO
D. D. D.
DISCIPVLVS

AVCTOR LECTORI S. S.

In ortu atque incremento Superioritatis Territorialis uidetur esse ex tota historia punctum notatione et studio dignissimum. cum ea scilicet per seculorum seriem arcte coniungitur omnis rerum nostrarum publicarum progressus, donec ex ea supremum illud imperij ius in ciuitatibus ortum est quod hodie omnibus hominum commerciis uicibusque summa auctoritate dominatur.

Cuius cognitio formationis in territoriis Regni Teutonici pro absoluta rei perfectione maxime operae pretium facit. quae me in primis rapuit quum eadem huius studij quae patriae historiae elementa esse uideantur. iuuit gloriosa perlustrare tempora quibus duae nationes quarum e coniunctione tam ipsis in uicem quam ceteris hominibus praeclara utilitas procedere queat, pari constitutione atque communi laude sociatae mutuis uinculis tenebantur. inde ambarum diu aequalis progressus etiam Superioritatis Territorialis incrementis obseruandus est quae in prouinciis ipsius Franciae pariter aucta ad parem paene perfectionem eualuit. in quo dignum summo studio punctum est quod saepius neglegitur quum matura Regiae potestatis praeponderantia cetera omnia deprimat.

At me illa studij oblectatio et ardor male cautus supra uirium modum extulerat donec multo tempore ac labore consumto in materia intricatissima prorsus inops haerebam. qua ex difficultate ille demum seruauit me praeceptor dilectissimus cui sacratas esse uolui hasce primitias studiorum quae in rectam reuocauit uiam. illius consilium et uoluntas amantissima menti lucem spem animo reduxerunt. ad illum igitur referas quaeso si quid in his pagellis probatione minus indignum repereris. mihi autem uitia ignosce quae operi magis festinanter digesto haerent quum sumtam ex iis quae studio altiore paraueram partem citius pro rei necessitate absoluerim.

De libris quibus usus sum id tantum dicam me Regum Capitularia constitutionesque et cetera legitima monumenta ex editione Pertz citauisse. praeter insignes libros Roth et Waitz praecipua in uniuersum doctrinae praesidia adtuli ex eis qui inscribuntur *Deutsche Rechtsgeschichte von Ferdinand Walter. 2. Ausg. Bonn 1857.* et *Deutsche Rechtsgeschichte von Dr. Heinrich Zoepfl. 3. Aufl. Stuttg. 1858.* horum aliorumque eruditionis copias equidem saepius citaui non ut clarissimorum nominum umbra huius tegeretur operis tenuitas sed ubi aut documentorum excerpta conlationesque promtius suppeditarentur aut fusius meliusque ea pertractarentur quae aut minus directo ad studia haec pertinebant aut mere transcribi inutile uidebatur. uale lector beneuole nostrisque inceptis indulge.

INDEX CAPITVM

PROOEMIVM

QVAM DIFFERAT HODIERNVS NATIONIS GERMANICAE STATVS AB ORDINATIONE KAROLINGICA

§ 1. Natio Germanica hodie in XXXV. ciuitates dispescitur. quae licet inter se iungantur origine ac praeteritae conditionis memoria, tamen iure gentium prorsus distinctae habentur nec nisi libera confoederatione coiere. at pristinus unius Imperij status haud ita dudum nouarum rerum uiolentia dirutus est. nam etsi unitas ista Imperij per discordias ac libidinum adrogantiam nouissimis praesertim temporibus in uacuum nomen abierit, origo tamen et summa Regni Teutonici fuit in una re publica uniusque Principis regimine, cui sine ulla intermedia potestate uniuersi ciues paruerunt. ea dico nationis Germanicae uniuersitas postquam e Karolingici imperij diuisione per se propria ui stare coepit, partitione Francicarum prouinciarum quodam modo traditionem Karolingicae ordinationis accepit. ille Francicae dominationis fructus quae domitas bellis obstinatis diuersas Germanorum nationes in unum corpus coegit gentiliumque ducum ferociam superiore magnae uniuersitatis utilitate constrinxit. quam dominationem Karolus Magnus in ultimos fines porrexit summaque cumulauit gloria, qui in terminos uasti imperij aequa ualidae amicaeque gubernationis ac strenuae iustitiae beneficia per potentem Francici nominis excellentiam diffudit.

§ 2. Ergo ex illa Karolingici imperij forma unde noui propriique Regni principia et ordinationem traxit, natio Germanica progressu rerum ac temporum in exitium eiusdem Regni hodiernumque statum translata est. inde unitas, integra

dominatio, inlaesa uis Regiae maiestatis. hinc discissum robur, multifida regna, unius nationis in ciuitates diuersas dispersio. cuius mutationis quaenam fuerit origo, quaenam caussae incrementaque fuerint inuestigare in animo est.

§ 3. Neque enim repente, sed per longum temporis tractum eo deuentum est. fermenta lente tumefacta postremo ad eam uim diruptionis maturata sunt ut massam ipsam in quam conflata erant conuellerint. imperium suis elementis disfractum est. nec tamen hic de capitalibus illius fati caussis disseretur, quae quales fuerint ab iis qui altiorem rerum humanarum peritiam habent publicarumque uicissitudines pernoverunt discendae sunt, neque exponetur generatim de uitiis Regni Teutonici, aut quem ad modum Regum electiones omnem imperij stabilitatem sustulerint quae melius diuturno uinculo Regiae unius stirpis cum populo coalescentis firmari solet. at principes qui Teutonicam Karolingici imperij partem sortiti sunt, gloria ac potentia clari, robustum iuuenili ardore populum regentes, ipsi saepius fortitudine, ingenio, magnis animis ac uirtutibus instructi, praeclarum tamen imperij splendorem indigna obscuritate aemulisque fulgoribus obumbrari siuerunt. quippe qui praesenti raperentur laude, hostilia perrumperent, animis exsultantes et facinoribus nisi magis quam futurarum rerum prouidi aut certi constantisque finis adpetentes. illa magnitudo ipsis uirtutibus contra se conuersis obruta est quibus luxurians uis populi exuberauit feroci libertate studiisque proximae ac particularis utilitatis. magna certe differentia a fraterno Regum Francorum exemplo. qui quidem Teutonicorum coheredum aemulorumque splendori longe impares primo portionem suam iniuria temporum hominumque licentia imminutam, propria imbecillitate atque impotenti cupidorum dominationis uirorum uexatione debilitatam dilaceratamque habuerunt, in contemtionem, ferme in obliuionem deuenerunt, mox uero sine magnis uirtutibus aut praeclare factis mera propositi tenacitate continuataque per generationes contentione sensim in eam excellentiam adscen-

derunt ut iam libertatem ciuilem propriumque omne prouinciarum ius in periculum vocarent.

PRAECIPVA CONDENDAE SUPERIORITATIS TERRITORIALIS MOMENTA

§ 4. Sed quum parum tempestiuum sit illam duorum Regnorum ex uno radice ortorum et si licet dicere plus uno intellectu germanitate iunctorum diuersitatem latius hic exponere, exactiorem intendamus considerationem in caussas quae rerum Germanicarum habitum prorsus commutauerint imperiumque ex corpore uno in diuersa territoria singulorumque Principum iura quae dicebantur Superioritatis distulerint. cuius condendae Superioritatis Territorialis quinque maxime occurrere uidentur caussae utpote praecipui rerum transitus gravissimaque supremi exitus momenta.

I. OFFICIA PVBLICA IN HEREDITATEM PROCERVM ABEVNT

§ 5. Ac primum quidem Regnum e Karolingica institutione per Comites, Duces, Marchiones administrabatur. illi summam plurium munerum publicorum gerebant quae nostris diebus ita separari solent ut alia aliis committantur. sed quamuis iunctis fulti imperiis nec non per se maxime excellenti conditione, diuitiis, genere, propinquitatibus conspicui, necessitudinibus sanguinis, possessionum, numerosae clientelae cum populo cui praeessent coaliti, mere tamen Regum ex auctoritate et arbitrio initium, continuationem, uim potestatis suae habuerunt. post deminuta paullatim Regum auctoritate iura sua partim obliterari neglegentia patientium partim prodige profundentium euenit per opportunitates necessitatesque rerum ac temporum ut officia Imperij potentibus procerum possessorumque stirpibus perpetua successione adtribuerentur, dum patrum merita, hereditariae commoditates, parium conditionum perpetuitas eadem filiis nepotibusque munia reapse adsererent. ac sane promtum fuit ut liberi nimirum in paterni regiminis imitationem notitiamque hominum ac rerum educati familia-

riumque ministeriis et obseruantia negotiorum adsueti omnium aptissimi ad suscipiendum imperium uiderentur. quum igitur ignotae illis temporibus essent eae publici ac priuati ordinis imperiique partium et uariorum munerum distinctiones quae subtilius nostra aetate excogitatae sunt, mox factum est ut officia publica priuato hereditarioque iuri altiorum familiarum miscerentur.

II. NOVA DOMINATIONVM TERRITORIA FORMANTVR

§ 6. Inde territoria quae ista officiorum ui ac successione possidebantur in meram rerum familiarium conditionem redacta hereditatibus ac testamentis mox omni pactionum quae inter uiuos intercedunt generi subiecta sunt. at quum ita in commercium deuenissent, multiplici uariorum negotiorum complexione confusa sunt. emtionibus enim uenditionibus, donationibus, alienationibus omnigenis ex prisco ordine direpta distractaque sunt. euanescere ueterum pagorum diuisiones. uice uersa concrescere ex uariarum adquisitionum compositione noua territoria. prout commerciorum casu, hominum fortunis, stirpium continuatione contigit, agrorum latitudines iungi quae solo possessionis nexu cohaerentes in potentium arcibus aut ecclesiis et monasteriis caput et medium habuere. inde nouorum circuituum spatia diuisioque totius Regni prorsus alia. mutata imperiorum extentione atque indole ipso Comitatuum et Ducatuum nomine iam non ut olim publica officia designata sunt sed noua hereditariae possessionis territoria quae iure Comitum aut Ducum regebantur.

III. COMPOSITIO TOTIVS IMPERII IN FEVDALEM ORDINEM TRANSFERTVR

§ 7. Quam in rerum familiarium similitudinem postquam reip. officia deuenerunt, non mirandum est deinceps etiam ad eam iuris formam ea adcommodata esse quae omnibus illius temporis negotiis potita est, scilicet ad ius feudale. cuius quidem natura in eo posita erat ut non praedia tantum sed quaestuosa omnino iura a dominis in uasallos transferrentur pro eximia fidelitate ac praestatione certarum operarum in primis militiae. qui nexus in omnia extensus est quaecumque emolumentum suppeditarent, unde rerum conditio quaestuaria priuatique iuris consideratio prae omnibus obtinuerunt. huic extensioni conduxit tota feudalis ordinis conceptio ingenio illius temporis mire consentanea. quippe istis inuisum fuit aequale in omnes praepotentis unius imperij onus. at iuuenilis seculi uigor libere in formas amplissimas et multifidam rerum hominumque complexionem luxuriabat. optimum uidebatur si paria paribus consociarentur dum nexuum ac graduum diuersitates per protectionem potentiorum respectumque inferiorum reciproca caritate coniungerentur. aeque Germanorum indoli et priscae simplicitati erat genuinum nullam hominum connexionem intellegi nisi ubi strictum rigorem mutua quaedam fides temperaret. praeterea aetas colendis patrum institutis incumbens, in seruando rei praesentis statu diligens, in posterum prouida omnia longius in aeuum condebat. cui pietati, uarietati, libertati, menti ad res perpetuandas propensae feudalis ordo ualde congruens uisus est. eius igitur obligatio solo haerens rerum hominumque compages amplexa est. prouinciae, dignitates, officia in similes translata sunt conditiones. existimabant fore ut publica ciuitatis totiusque imperij uincula eo magis inualescerent quo magis confirmarentur egregiae fidelitatis nexu ad pietatem hominum diuturnitatemque conditionum adcommodato. iam autem euenit ut hic ipse in rem principalem uerteretur obliterata publica omnium officiorum natura. iurisdictiones et regimina, territoria pagorum urbiumque, munia quaelibet in feuda conuersa sunt. unde in locum publici uinculi quo omnes Imperij rectores usque ad ipsum Regem mutua obligatione tenebantur, successerunt mera feudorum officia nouaeque machinae compositio. officiorum ergo alia ratio aliique gradus exstiterunt. quae ubi per eamdem concessionis ac possessionis conditionem confusa sunt cum rebus soli ceterisque priuati iuris commodis, consequens fuit ut eadem iuris quoque contemplatione permiscerentur. inde

obscurata obliuione origo eorum et ipsa permissa sunt in plenam dominationem liberumque ius ciuium solo personarum arbitrio determinatum.

IIII. IVRA FISCALIA ET REGALIA PRINCIPVM DOMINATIONI ADCRESCVNT

§ 8. Eodem fato cetera imperij iura rapta sunt quae antea administrandae reip. adpendices necessariae uidebantur itaque Regis nomine exercebantur a magistratibus, Comitibus, Ducibus. at hi postquam iure patrimoniali ac nomine proprio regimina obtinere coeperunt, similiter ad adfectanda omnia Fisci iura inducti sunt. quam publici iuris alienationem Reges ipsi adiuuerunt quum munia fiscalia pro aliorum officiorum operarumque praestatione aut ex fauore et ad complendam Principum auctoritatem condonarent. hic quoque ordo a largitionibus in ecclesias et monasteria conlatis coeptus est. inde principium habuerunt concessiones mercatuum ac teloneorum simul cum pertinentibus reditibus ac iurisdictionibus. adcesserunt uiarum pontiumque ceterorumque publicae utilitatis operum institutio, inspectio, exactio, monetae, uectigalia e fontibus diuersissimis singularibusque conditionibus collegenda, ius nouorum tributorum consensu primorum e regione indicendorum, mox generalium constitutionum de regimine publico edendarum. item adcesserunt praedia possessionesque Fisci quae regiis officiis aut pro remuneratione adtribuebantur aut ad procurandam administrationem tradebantur. quo modo addita sunt iura illa fiscalia regaliaque dominationi singulorum Principum et pari profectu mutuaque concretione inualuerunt atque similiter ad ius feudale adcommodata sunt inque commercia hominum deuenere. Principes autem uberrimam opum facultatumque copiam et praecipua potentiae suae sustentacula inde habuerunt. quare magis atque magis in libertatem paene absolutam aucta est ecclesiasticorum secularium que uirorum potestas quibus territoriorum regna competebant.

V. LIBERI HOMINES PROPRIO PRINCIPVM IVRI SVBIICIVNTVR

§ 9. Vltimum autem grauissimumque momentum ponendum est in conditione hominum regendorum. liberi homines uim regni Karolingici constituerunt, qui quidem Regali potestati protenus adstricti summum imperij et armorum robur suppeditabant. ex iis conflata est pars praecipua eademque fortissima totius nationis ac rei publicae ad quam solam neque ullo interposito medio pertinebant. sed postea singulis Principibus subditi atque ab Imperio separati sunt, quae res publici propriique territoriorum ac dominorum terrae iuris consummatio fuit.

§ 10. Quae quinque momenta in primis sunt per quae Superioritas Territorialis exorta est. sed quemadmodum publica Ducum et Comitum officia in successiones hereditarias abierint, quibus elementis et uicibus coaluerint nouarum dominationum territoria, qua ratione publicam auctoritatem et gradus officiorum exceperit per totam Imperij constitutionem feudalis ordo, denique quomodo Principes Fisci possessiones et regalia sensim ad se traxerint, haec abunde iam a grauissimis auctoribus multorum documentorum ope inlustrata sunt. neque hic exacta et per temporum ac uariorum incrementorum seriem producta Superioritatis Territorialis historia intenditur. sat sit explicuisse quorum ex fontium concursu principia habuerit quae dein tempestatibus opportunis ad perfectionem peruenerint. at ultimum punctum decretoriumque rei processum adtentius disquirere proposuimus, subiectionem dico liberorum ciuium in propriam singulorum Principum dominationem.

CAPVT PRIMVM

PRISCAE GERMANORVM LIBERTATIS NATVRA

§ 11. Quanam effecta sit ratione tanta Germanicae personarum libertatis mutatio uideamus. antiqua Germanorum libertas qualis a Tacito et Caesare describitur terrae potissimum possessione et domestica potestate confirmabatur. familiarum patribus ciuitates consistebant. ceteri sub regimine paterno, uxores, liberi, contubernia seruorum, pars domus non reip. uidebantur. illi propriis in praediis uitam degebant honestatam suorum reuerentia obsequiisque mancipiorum agros circumiacentes colentium. inde originem per latifundia perque generis ac uirtutis excellentiam haud interruptam traxit nobilitas illa Germanica cuius antiquitas fontibus historiae praecedit atque ipsi terrae qua innititur paene coaetanea uidetur. quarum stirpium dominationes uariis nominibus per uaria Germaniae fata prolatae postea partim transierunt in iura territorialia de quibus hic disserendum est. at illis praecipuum uitae negotium ac decus erat positum in armis exercendis quibus se ac suos quisque defenderet et gloriam fortunamque sibi conquireret. haec ciuitatis fundamenta, libertas armorumque tractatio. haec ueterum Germanorum libertas, intra proprios fines dominationem a nullo arctatam exercere, foris nullo nisi libere agnito imperio constringi. mos erat ut se quisque suosque et omnia ad se pertinentia quam maxime ipse regeret. existimabant illae gentes unumquemque ea quibus directo adficiatur optime intellegere et commodissime gerere debere. una ratio auctoritasque reip. res priuatas omni impedimento ac perturbatione defendere.

Ea mente elati ad unum omnes hac lege steterunt ut omnem proprio iure arcerent inuasionem, ceterum ortae controuersiae non nisi parium iudicio secundum legem liberae consuetudinis iusque communi popularium consensu constitutum disceptarentur.

Neque minus migrationum uicissitudinibus acti et aliarum nationum sanguine conditionibusque mixti retinuere Germani memoriam splendidae libertatis. inde Regni Francici robur et uigor in omnes imperij partes diffusus.

LIBERTAS GERMANICA IN REGNO FRANCICO

§ 12. Vis illa Germanicae libertatis in Regno Francico quattuor maxime capitibus durauit quae plurimum in quaestione nostra ualent, ordinatione scilicet iudiciorum, militiae, tributorum publicorum, legum ferendarum. quae omnia nihil mutata sunt nisi quod ex alio rerum publicarum statu aliam formam ceperunt. nam quae in priscis Germanorum ciuitatibus in commune referebantur atque ad concilia totius populi pertinebant, ea in Francia ad Regum auctoritatem plerumque redacta sunt. qua quidem ex re uis regni corroborata est. ceterum si excipias quod quae alias communia fuere iam regia putarentur, parum pro libera singulorum actione quoad ius publici imperij mutatum erat.

I. QVOAD IVDICIORVM ORDINATIONEM

IVDICIA REGIA, ORDINATIO KAROLI MAGNI

§ 13. Germani abhorrere a libertate se ducebant si alius se iurisdictioni subiicerent quam quae auctoritate publica per Regem Regiosue magistratus administraretur. quae administratio per placita Comitum ac Centenariorum prisca gradatione constabat. at Karolus Magnus noua iudiciorum instituendorum ordinatione caussas omnes minores coram Centenariis, quaestiones uero capitales ubi de capite, libertate, proprietate ageretur, in Comitum placitis diiudicari iussit. Capit. Langob. a. DCCCII. 14. Aquisgr. a. DCCCX. 2. Aquisgr. a. DCCCXII. 4. quae mere ex natura caussarum habita distinctio ad omnes qualiumcumque conditionum personas aeque spectabat. illius ergo Karolingicae ordinationis ratio fuit ut iurisdictio numquam nisi auctoritate publica regioque nomine exercita ad liberos omnes homines quicumque sub Regno essent aequali lege extenderetur.

§ 14. Attamen ex hac iudiciorum compositione sensim noua personarum distinctio orta est. supra monuimus apud pristinos Germanos eam ualuisse rerum ciuilium rationem ut nemo ciuitatis publicorumque negotiorum plene particeps fieret, nisi cuius status et libertate personae et soli dominio fundaretur. quae ratio facile inde processit quod existimarunt, quicumque paribus ciuitatis commodis et mutuis rerum hominumque auxiliis frui uellet, ei etiam pro rata portione communia munera aequali personae ac proprietatis praestatione implenda esse. quare quum et initio soli Rachinburgi id est liberi homines proprio fundo praediti, iudiciis adsidendi iure uterentur, ipse Karolus Magnus iudiciorum adsessores quorum numerum conditionemque sedula constitutione ordinauit, nisi ex liberis hominibus soli possessoribus deligi uetuit. nempe quum otio uicinitatibusque pristinarum conditionum grauia per nouorum regnorum latitudinem negotia successissent importunumque uideretur quod ante pars libertatis honorisque fuit, uulgus paullatim a muneribus publicis iudiciorumque celebratione recedere coepit. quae incommoda Karolus Magnus ea lege reiecit ut omnes liberi non saepius quam trinis quotannis uicibus ad Comitum placita conuenirent, cetera uero iudicia per Scabinos a Missis Dominicis consensu Comitum ac plebis designandos instituerentur. cf. uerba Hludouici Pij in Capit. Aquisgr. Gener. a. DCCCXVII. cap. Missorum 14. DE PLACITIS SIQVIDEM QVOS LIBERI HOMINES OBSERVARE DEBENT CONSTITVTIO GENITORIS NOSTRI PENITVS OBSERVANDA ATQVE TENENDA EST VT VIDELICET IN ANNO TRIA SOLVMMODO GENERALIA PLACITA OBSERVENT ET NVLLVS EOS AMPLIVS PLACITA OBSERVARE COMPELLAT NISI FORTE QVI LIBET AVT ACCVSATVS FVERIT AVT ALIVM ACCVSAVERIT AVT AD TESTIMONIVM PERHIBENDVM VOCATVS FVERIT. AD CAETERA VERO QVAE VICARII VEL CENTENARII TENENT NON ALIVS VENIRE IVBEATVR NISI QVI AVT LITIGAT AVT IVDICAT AVT TESTIFICATVR. item Capit. Langob. a. DCCCII. 14. Capit. min. a. DCCCIII. 20. Capit. Aquisgr. a. DCCCVIIII. 5. Constit. Olonn. a. DCCCXXIII. 13. Capit. Wormat. a. DCCCXXXVIIII. pro lege hab. 5. cet. de electione Scabinorum Capit. Aquisgr. a. DCCCVIIII. 11. Wormat. a. DCCCXXVIIII. al. capit. 2. seq. et cet. illa trium placitorum legitimorum siue generalium institutio pluribus seculis per ceteras rerum publicarum mutationes durauit, ut quae summo ingenio perpensa temporum rationi maxime congrueret atque parandis posterioris aeui nouationibus graue momentum adferret. quia autem Scabini iam non ut antea in singulas caussas sed in perpetuum iudicandi munus eligebantur, sensim in conditionem propria stabilique dignitate uere distinctam euecti sunt. inde ceteros liberos publicis muneribus abstinentes honore suo obscurauerunt. ipsi possessionibus atque auctoritate promoti, etiam legibus MELIORES praedicati mox tamquam potior ciuium ordo insigniti sunt.

II. QVOAD MILITIAM

§ 15. Vnumquemque liberum hominem ciuitati militiam debere iam antiquo iure constitutum erat. Germani autem armorum tractationem adeo sibi honori ac tamquam pro parte ciuilis dignitatis duxerunt ut etiam in comitia armati conuenerint. quod satis consequens ubi libertatis fuit se suaque proprio marte defendere. neque alia in Francia ratio ualuit et lex militiae aequaliter ad uniuersas ingenuorum tam Germanicae quam Romanae originis conditiones extensa est. uide Roth *Gesch. des Beneficialwesens* pag. 169..202. quod et Regio banno sancitum. cf. Capit. de Banno a. DCCLXXII. 8. Bonon. a. DCCCXI. 1. Ticin. a. DCCCI. 3. commenticiam scilicet opinionem qua Eichhorn iam Merouingorum tempore militiam totamque Regni compositionem quodam Leudium nexu constitisse duxit, quasi omnia praedia quae Franci in prouinciis inde a Clodoueo in ditionem Francicam redactis possederunt, pro agris publicis primitus habita essent, ipsis possessoribus tamquam in Leudium conditionem natis, istam inquam opinionem quae totam feudalis iuris machinam quasi iam perfectam absolutamque ad antiqua tempora traducit, satis conuicit Roth lib.

cit. pag. 74. seq. qui etiam pag. 402. 412. seq. probauit militiam eadem regnantibus Karolingis qua Merouingis lege stetisse neque quidquam in ea Karolum Magnum subleuato tantum pauperiorum onere inmutauisse, quibus quidem non ipsum militiae munus sed personarum tantum praesentia in castris remissa est pro praestatione rati ad singulorum facultates adiutorij. quod amplius infra tractabitur.

III. QVOAD TRIBVTA PVBLICA

§ 16. Haud minus Germani ad plenam libertatem pertinere censuerunt ne ullis tributis obnoxij essent. nam omni pecuniae praestatione siue capitibus siue agris inposita libertatem diminui arbitrabantur. ea mente et in Francia restiterunt plurium Regum superbiae Romana tributa in Francos quoque homines extendere tentantium. cf. Gregorij Turon. Hist. VII. xv. ubi uituperatur Iudicis cuiusdam iniquitas quod Multos de Francis qui tempore Childeberti Regis Senioris ingenui fuerant publico tributo subegerit. item uide Waitz *D. Verf. Gesch.* II. pag. 522. seq. attamen iam ex antiquo in morem uenerat ut uoluntaria Regibus dona offerrentur, primum quidem singularum ex occasione caussarum, mox tamquam magis ordinaria pro necessitatibus rei publicae. quippe isto tempore non ut hodierno inter aerarium publicum et fiscum Principis distinctio fuit. sed quaecumque inpendia ad regale munus spectabant ipse Rex propriis opibus suppeditare debuit. uicissim quidquid publico redibat titulo sibi peculiare habuit. eo referenda sunt freda et mulctae, tributa debellatarum gentium, maxime post subactas Gallias uectigalia e Romanorum ordinatione retenta. at prolatis in uastam ditionem Regni Francici finibus creuit Fisci necessitas, praesertim postquam prodiga Regum largitio maximam agri publici partem dissipauit. interea Romanum agri et capitis tributum in certa praedia certasque personas deductum est. uide Waitz II. pag. 498. 580. Roth pag. 85..90. inde opus fuit ut et liberorum Francorum praestationes augerentur. quas tamen oblationis

uoluntariae communisue consensionis formam usque retinuisse et praesertim in rei militaris usus fuisse inpensas uidemus. ita ferme in legem uenere ea quae saepius in Capitularibus memorantur DONA REGIA. cf. Capit. min. a. DCCCIII. in app. 2. eiusd. a. Capit. al. add. 20. quae postea prout annua optimo eodemque quo cetera tributa iure exacta fuisse cernuntur. cf. Conu. Ticin. II. a. DCCCLV. cap. Missorum 4. VNDE VEL QVAE DONA ANNVALIA AVT TRIBVTA PVBLICA EXIGI DEBEANT.

IIII. QVOAD IVS LEGVM FERENDARVM

§ 17. Germanis summa libertatis fuit ne legibus nisi per se ipsos latis aut comprobatis obsequerentur. ex illo iuris antiqui principio ut sua quisque quantum posset ipse institueret factum est ut leges publicae plerumque ad singulares tantum casus referrentur et ad firmandam eam iuris formam quae iam moribus esset spectata. ab iis legibus nulli magistratui, nulli partis ullius rectori recedere licuit. ea tantum singulos obligare ualuerunt quae uniuersitas constituerat. quod quidem Regali potestate proprie non inmutatum. etenim etiam Rex quamuis summus ciuitatis dux nulla tamen lege ciues nisi consentientes adstringere potuit. itaque Regum edicta plerumque adsensu populi firmata uidemus, ita saepe ut stantibus in procinctu adprobanda proponerentur, maxime etiam ut in optimatum ecclesiasticorum seculariumque conuentibus tractarentur et praepararentur. quae postea usitatissima legum ferendarum forma erat, quum Rex populi primores optimatesque regni ad constituendas promulgandasque leges conuocaret. quae omnia adcurate ac diligenter a Karolo Magno ordinata sunt sic ut in Hincmari Remensis Epistola de Ordine Palatij explicate descriptum legitur. duo quotannis conuentus habiti sunt, quorum in altero auctumnali leges ferendae a Rege cum Episcopis, Comitibus, Senioribus, consiliariis suis deliberabantur, in altero uernali plebi armatae in Campo Madio ex prisco more adclamandae prodebantur. ea igitur legum ferendarum

ratio ad totam remp. pertinens, qua omnes aequaliter constricti sunt quicumque Regno subiecti erant.

QVO ORDINE MVTATIO PROCESSERIT

§ 18. Ea erat liberorum hominum per Regnum Francorum indoles. ea erant quae ex Germanica libertate orta in praecipua capita Karolingici imperij inducta sunt. ergo grauem istam rerum publicarum nouationem de qua hic quaestio est qui inde deducere uolunt atque explicare quo modo mutato liberorum hominum statu Superioritas quam uocant Territorialis dissoluta ueteris imperij compage prodierit, eis uidetur iam ex instituto ordine docendum

I. quo modo iurisdictio in liberos homines olim non alias quam in regiis iudiciis exercita mox territoriorum dominis propria reddita sit

II. quo modo heribanni militia deperdita honestate desierit

III. quo modo liberi homines tributis Principum subiecti sint

IIII. quo modo eorumdem regimini ac publicae administrationis legibus obnoxij facti sint.

CAPVT SECVNDVM. QVID MOMENTI CIRCA LIBERTATEM GERMANICAM HABVERINT IMMVNITATES

§ 19. Iam Karolingorum tempore ad illam mutationum seriem uia patefacta erat graui instituto quod infractam imperij aequalitatem denique toto statu deturbaturum fuit. Immunitates scilicet territoria erant ab ordinaria magistratuum quorum in regione sita erant potestate exemta. quarum possessores dominia sua publicis imperiis cumulantes ad potentiam ultra modum excedentem euecti totum Regiae administrationis ordinem perruperunt. uerum eo necessario rerum decursu pedetentim peruentum est.

I. DE IMMVNITATVM ORIGINE AC NATVRA

DE VASTIS FVNDORVM POSSESSIONIBVS POTESTATVMQVE EXTENSIONE

§ 20. In Francia pridem congesta sunt latifundia in aliquorum manus. cui rei ualde conduxerunt conditiones Senatoriarum aliarumque inlustrium in Galliis familiarum uastis soli possessionibus fundatae. simili modo Germanorum fortunae uictoria et spoliis auctae grandibusque Regum largitionibus locupletatae mox in amplissima dominia uertebantur. Ecclesiae quam maxime illo tempore deuinctis sibi noua Christianitate animis nouorum filiorum pietate profusaque gratia et iuuenili quadam religionis intemperantia ac liberalitate summas diuitias summamque auctoritatem adsecutae sunt. itaque ij fundi numerosissima hominum copia colebantur quos ipsa fortunae suae sors dominis obligauit. eo etiam diuersissimae nexuum conditiones concurrerunt, Romanorum colonatus, Gallicae clientelae, communis Romanis et Germanis seruitus cum distinctionibus manu missionum gradibusque subinde in plenam libertatem perducentibus. cf. Cod. Theodos. Lib. V. Tit. VIIII. DE COLONIS FVGITIVIS. Cod. Iustin. Lib. II. Tit. XXXXVII. DE AGRICOLIS ET CENSITIS ET COLONIS. de tributariis uide Roth pag. 83. 84. et ibi cit. loc. grauissimum autem fuit quod in usum uenit ut liberi inferioris conditionis homines spontanea se commendatione in potentiorum tuitionem potestatemque traderent. quod iam in Romana Gallia moris fuisse demonstrat insignis locus Presbyteri Saluiani Lib. V. de Gubernatione Dei. Plerique . . inquit, tradunt se ad tuendum protegendumque maioribus et deditios se diuitum faciunt et quasi in ius eorum ditionemque transcendunt . . defensoribus suis omnem fere substantiam suam priusquam defendantur addicunt. qui usus Francorum imperio continuatus et grandi extensione grassatus est per omnium confusionem ex inaequalitate conditionum atque ex eo quod nimirum sperabant fore ut proceres agnita a pauperibus potentia ad defendendos eos uterentur. huiusmodi commendationis strictis-

simam potestatem sola reseruata libertate statuentis exemplum praebet Form. Sirmond. xxxxiiij. inde quosdam sese uel in semiliberorum litorum conditionem contulisse testatur Lex Frisionum XI. 1.

Qua ratione ut plurimi se in Ecclesiarum patrocinia commendarent non sola pietas suasit, sed maxime tranquillitas ecclesiastici regiminis et bonorum ordinatissimus habitus, dominationis humanitas, denique omnium pax quicumque ad Ecclesiam pertinerent, etiam barbarorum ueneratione secura. quod tum maxime obtinuit postquam Ecclesiae singulari Regum protectione frui coeperunt. ipsae adpetebant quod dicebatur IN SERMONEM TVITIONIS REGIAE recipi. cf. Form. Marc. I. xxiiij. Lindenbr. xxxviij. et clxxvij. Dipl. Childeb. quo sub sua tuitione suscipit Monast. Anisolense a. DXXXXVI. ap. Brequigny edit. Pardessus CXXXXIIII. inde cum omnibus rebus hominibusque suis Maiori domus aliiue potenti officio in singularem tutelam obseruantiamque demandabantur. quorum commodorum quo fierent participes plurimi sponte adducti sunt ut se una cum familia pecuniaque sua Ecclesiae cuiusdam Sancto traderent. inde multiplices nexus, quibus magna adfertur claritas secundum distinctionem quam proposuit Walter R. G. § 73. seq. prout constet mancipium ueraque quae postea dicta est *Leibeigenschaft* proprietas corporum, uel potestas, uel merum patrocinium. at patrocinia magna inter se caussarum uarietate differebant prout manu missionibus, praediorum conductionibus, traditionibus orta essent, item diuersitate obligationum iurisque in agris concessis beneficiarij et usufructuarij.

Sed omnia illa iura de quibus fusius disserere ultra fines nobis praestitutos est, copiosissimis inlustrantur documentis praesertim ex Ecclesiarum polypticis et cartulariis quae ab illo tempore seruata habemus quaeque in primis Guérard summa commentariorum eruditione instructa edidit. praeterea difficilem intricatamque materiam exactiore nouorum studiorum doctrina et acri iudicio explicauerunt in primis Roth, Waitz, Walter.

DE VNITATE DOMINATIONIS AC TERRITORII

§ 21. Ergo induxere mores ut illi omnes qui caussis diuersissimis sub unius potestatem subiuncti erant, pro uniuersitate haberentur per se consistente, foris per dominum sustenta. hic illorum Senior, illi eius Homines, per eum sperantes, per eum se reclamare et sperare noti. item eorum agrorum dominatio mox unius Territorij designatione notata est, uelut in formulis saepissime occurrit TERRITORIVM ILLIVS SANCTI. quam potestatem domini ui et conditionibus sane diuersam, pariter tamen super omnes elatam, Senioris dixerunt Legitimum Mitium sive Mittio, ut in Form. Marc. I. xxiiij. VNDECVNQVE IPSE LEGITIMO REDDEBIT MITTIO de quibus saepius occurrentibus uerbis cf. Waitz II. pag. 292. 2. in adnot. pluraque ibidem memorata exempla, item Roth pag. 163. seq.

Consequens erat uti consuetudine iuris ac Regum auctoritate sanciretur unitas illa. quare quod factum erat et rerum ui constitutum lex comprobauit. conducebat praeterea uitandis inter magistratus publicos et potentes soli possessores controuersiis iurique facilius exercendo quod quae re uera particularia exsisterent territoria publici quoque regiminis ac iuris ratione discernerentur. inde Immunitatum ordo.

DE INITIIS IMMVNITATVM LEGITIMIS

§ 22. Hanc quoque uiam Ecclesia aperuisse uidetur. certe ex multis talium Immunitatum praeceptis quae ad nos peruenere nullum est de laicis Immunitatibus. sed praeter alia historiae documenta iam Marculfi Formul. I. xiiij. et xvij. satis probatur eas in seculares aeque uiros conlatas fuisse. prima priuatarum earum iurisdictionum uestigia praeter ea quae mox referenda sunt inueniuntur in Childeberti Edict. a. DLXXXXVI. cap. 12. ubi Centenarum finibus obponitur IN QVIBVSCVMQVE FIDELIVM NOSTRORVM TERMINIS. plane lectionem hanc unius codicis Pertz non probauit, aliam confusiorem maluit. dein in Chlothacharij Edict. a. DCXIIII. cap. 19. et

20. sed iam sub Clodoueo primisque eius successoribus adparent ecclesiasticarum immunitatum uestigia. cf. Concilij Aurel. I. a. DXI. cap. v. Dipl. Chlotarij R. Fr. a. DXXXVIIII. pro Monast. Reomaensi ap. Brequigny edit. Pardessus CXXXVI. quod forsitan pro ipsius Chlotarij regno spurium esse uidebitur, certe temporis paullo posterioris fidem facit. item in Testam. S. Caesarij Episc. Arelat. ap. Breq. CXXXIX. memoratur concessa praediis ecclesiasticis tributorum immunitas. huc etiam citatur Chlothacharij Regis Constit. a. DLX. 11. quae igitur primitus constabant remissis publicis tributis et quae dicebantur exactionibus atque functionibus, tum priuilegiis fori de quo uide Chlothacharij Edict. a. DCXIIII. 4. mandataque de ecclesiasticis ad secularia iudicia non distrahendis saepius repetita uelut Capit. Vern. a. DCCLV. 18. et Capit. Langob. a. DCCCIII. 12. tum uectigalibus in proprios usus percipiendis. cf. Waitz II. pag. 575. 4. et pag. 576. sed summi momenti fuit quod extensa sit potestas domestica in certum imperium iuris hominibus Immunitatis reddendi. cuius exemplaria probatissimae antiquitatis cf. ap. Walter § 109. 5. cui rei conduxit istorum temporum confusio iuris publici ac priuati, quum scilicet collecti ex publicorum munerum gestione reditus quasi pars horum praecipua priuato ad gerentes iure pertinere censerentur. eidem opinioni congruit ut in Regum praediis uillisque publici magistratus nequaquam distincta a regiis ministeriis munia gererent, sed Villici Iudicesque rerum domesticarum ipsis ibi imperiis potirentur quae alias Comites ac Centenarij exercuere. in tantum regiae possessiones ordinandis priuatorum immunitatibus re uera exemplo erant, in primis per frequentes praediorum regiorum donationes, quum serui, liti, homines commanentesque cuiuscumque generis solo haerere et diuersa ministeria omnisque bonorum procuratio eodem ordine ad nouos possessores transire solerent. cf. Marc. Formul. I. xiiij. qua conceditur VILLA CVM OMNI MERITO ET TERMINO SVO INTEGRITATE SICVT AB ILLO AVT A FISCO NOSTRO FVIT POSSESSA VEL MODERNO TEMPORE POSSIDETVR cet. quia igitur regiis ministeriis priuata

succedebant officia consequens erat ut deinceps regius quisque minister arceretur. idque concessionibus per eam semper formulam inerat qua prohibebatur ne Iudex ullus publicus fines immunis territorij ingredi auderet. quod et ad Comites ceterosque reip. magistratus spectauit. eo ipso continebatur ut per priuatos subinde ministros exercerentur iudicia quaestionesque et mulctae perciperentur. quod quidem plerumque expressis uerbis confirmatum. cf. Marculfi Libri I. Formulas iij. et iiij. quarum tenor innumeris Merouingicae et Karolingicae aetatis diplomatibus repetitur neque ad eas tantum possessiones quae regiis donationibus conlatae essent, sed et undecumque processerint, etiam ad deinceps adquirendas pertinuit. cf. Diplomata annorum DCCLXXII. DCCLXXV. DCCLXXXIII. DCCCXIIII. DCCCXV. cet. ap. Breq. edit. Pardessus et ap. Bouquet Script. rerum Gallic. et Francic. nam quum earum immunitatum numerus mox extra priuatarum concessionum modum creuisset, saepius etiam legibus ac publicis Imperij constitutionibus ordinabantur atque confirmabantur. fidem faciunt Regiarum constitutionum capitula annorum DCCLV. DCCLXXXVIIII. DCCCXVII. DCCCXXV. DCCCLV. cet.

DE ADMINISTRATIONE IMMVNITATVM

§ 23. Ceterum Immunitatum administratio administrationi eorum qui non immunes erant pagorum prorsus similis erat, nisi quod rectores non ad gerendas res mere publicas publica auctoritate sed priuatis ipsius Regis, Episcoporum, Abbatum, laicorum procerum mandatis constituerentur. plurima de priuata regiarum possessionum administratione documenta aliarumque comparationem praebet Karoli Magni Capitulare de Villis Imperialibus a. DCCCXII. cf. etiam Hincm. Rem. Epist. de Ord. Palatij. re autem ipsa factum est ut Immunitatum territoria ac diuisiones pro magnitudine sua modo Comitatibus aequipararentur modo Centenis modo etiam singulis

Marcis quarum e pluribus una Centena constabat. inde uelut publicorum ita et priuatorum officiorum gradus. item utrisque in exercendis iudiciis imperiisque pares legum morumque normae erant. quicumque igitur uariis publici regiminis uicibus fungebantur non ea tamen munia mere ex arbitrio exsecuti sunt. publica priuataque officia aeque Missorum Dominicorum inspectioni submittebantur omnesque per imperium iudices crebris Regum capitulis admoniti sunt ut subditis suis plenam et integram qualem habuerint redderent iustitiam. quam apti esse et qualia praestare debuerint Immunitatum iudices aduocatique saepe legibus repetitum est. cf. Chlothach. Edict. a. DCXIIII. 19. Capit. Aquisgr. a. DCCCXIII. 14. Capit. Gener. a. DCCLXXXIII. 3. cet. Capit. Langob. a. DCCCII. 11. Capit. Aquisgr. a. DCCCVIIII. 11. Capit. min. a. DCCCIII. 3. Capit. Aquisgr. a. DCCCII. 13. aliaque quam plurima. at priuatis iudiciis plurium criminum cognitio non permissa est sed publicis magistratibus reseruata. cf. Capit. Franc. a. DCCLXXXVIIII. 9. Capit. Aquisgr. Gener. a. DCCCXVII. cap. add. 19. Edict. Pist. a. DCCCLXIIII. similem eae exceptiones caussam habuere quam quae postea in Francia *Cas Royaux* uocabantur quibus scilicet conualescens Regum potentia priuatas iurisdictiones stricte coarctabat. ceterum si qui extranei intra immune territorium perfugium ab aliis iudicibus quaererent neque exinde secundum Comitis denuntiationem traderentur, ipse Comes territorij intrandi ac perscrutandi licentiam habuit. quod saepius Capitularibus indictum. cf. in primis Capit. in L. Sal. mitt. a. DCCCIII. 2. dein Karoli Calui Conu. Siluac. a. DCCCLIII. 7. qua ratione prouidebatur ut Immunitates per quas priuatorum facultatibus ac potentiae conueniens in re publica adserebatur auctoritas, ad totius imperij complexionem adcommodarentur nedum communem ordinem dirumperent.

§ 24. Ergo distincte inspiciamus quid momenti in libertate Germanica habuerint Immunitates circa quattuor praesertim capita ad quae ordinem huius disquisitionis retulimus.

I. QVOAD IVRISDICTIONEM

Magno Immunitatum per totum Regnum propagatarum numero multi liberi ex ordinaria constitutorum a Rege magistratuum iurisdictione exemti et ad procerum imperium translati, singulari, proprio, hereditario priuatae dominationis iure separati sunt a reip. uniuersitate. id quod satis adparet ex plurimis Immunitatum praeceptis, ex formularum exemplis, ex ipsis Imperij legibus quae saepissime una cum Comitibus ceterisque publicis magistratibus expressam priuatorum in Immunitatibus iudiciorum officiorumque mentionem faciunt. cf. Walter § 109. 6. ubi etiam refutatur Eichhorn qui Aduocatorum munus in eo tantum posuit ut pro Immunitatum hominibus coram ordinariis iudiciis agerent.

Atque initio quidem in iis iurisdictionibus uis imperij publici quasi delegata nequaquam corrumpi censebatur. tum Immunitatum iudices nisi quod a priuatis constituerentur re uera publico fungi munere usque uisi sunt. ita iuncta cum Immunitate potestas de hominum uita, corpore, pecunia. cf. Capit. Baioar. a. DCCCIII. 1. quod est ius Banni. ita in Böhmer Reg. n. 359. ad a. DCCCXXIII. et n. 591. ad a. DCCCXXXXV. BANNVS ET CIPPVS. quem Ecclesiarum Aduocati ab ipso Rege impetraturi erant ex eo quod dicitur, Ecclesia non sitit sanguinem. uelut etiam in Legum Ciuitatis Argentinensis cap. XI. scriptum est POTESTATEM QVAE SPECTAT AD SANGVINIS EFFVSIONEM ECCLESIASTICA PERSONA NEC HABERE NEC DARE DEBET. VNDE POSTQVAM EPISCOPVS ADVOCATVM POSVERIT IMPERATOR EI BANNVM ID EST GLADII VINDICTAM ET OMNEM POTESTATEM STRINGENDI TRIBVIT.

§ 25. Immunitatum priuilegiis non permissum erat ut quidquam de militiae munere detraherent quod omnibus in Regno liberis hominibus ipso iure impositum erat. contrariam Eichhorn opinionem sedula recentiorum disquisitione plene refutatam esse monuimus. ex sola scilicet libertate personarum militiae obligatio, cui nil derogauit lenior Karoli Magni constitutio. inde ortum est quod exprimitur in cap. 1. Capit. pro Exerc. prom. quod Pertz ad a. DCCCIII. scripsit, Roth pag. 397. seq. anno DCCCXI. adsignandum probauit, VT OMNIS LIBER HOMO QVI QVATVOR MANSOS VESTITOS DE PROPRIO SVO SIVE DE ALICVIVS BENEFICIO HABET IPSE SE PRAEPARET ET PER SE IN HOSTEM PERGAT. ergo ea lex et ad liberos Immunitatum homines pertinuit. una necessariaque erat consequentia priuilegij quo publici omnes iudices agrum exemtum ingredi uetabantur, ut militum delectus per ipsa Immunitatum officia fierent. id quod ipsius exemtionis natura effectum est quoque minus controuersiae ex utrorumque officiorum functione orirentur. inde literae Hludouici Pij ad quosdam Comites, uituperantis quod Corbeienses homines in hostem ire compulerint et distringere iudiciario more uoluerint, itaque Immunitatem re ipsa infregerint, ap. Waitz Vassal. pag. 74. quo fit quod in legibus de militum delectu et promotione in castra latis semper et Comites et Seniores una commemoratos inueniamus. cf. Capit. de Exerc. prom. 1. SIVE CVM SENIORE SVO SI SENIOR EIVS PERREXERIT SIVE CVM COMITE SVO. item utrique in rationibus de eo munere reddendis aequati. plane Senior suos ipse homines ad exercitum duxit congruentemque in itinere habitudinem eorum praestitit. cf. Capit. Aquisgr. a. DCCCXXV. 17. at non per eum stetit quos aut quam multos secum ducere uellet, immo tenebatur ut curaret praesentiae omnium quoscumque lex ad stipendia citauit. ita expresse statutum in Capit. de Exerc. prom. 3. QVOD SI FORTE TALIS HOMO INVENTVS FVERIT QVI DICAT QVOD IVSSIONE COMITIS VEL VICARII AVT

CENTENARII SVI HOC DE QVO IPSE SEMETIPSVM PRAEPARARE DEBEAT EIDEM COMITI VEL VICARIO AVT CENTENARIO VEL QVIBVSLIBET HOMINIBVS EORVM DEDISSET ET PROPTER HOC ILLVD DEMISISSET ITER ET MISSI NOSTRI HOC ITA VERVM ESSE INVESTIGARE POTVERINT, IS PER CVIVS IVSSIONEM ILLE REMANSIT BANNVM NOSTRVM REVVADIET ATQVE PERSOLVAT SIVE SIT COMES SIVE VICARIVS SIVE ADVOCATVS EPISCOPI ATQVE ABBATIS. item cap. 5. DE HOMINIBVS NOSTRIS ET EPISCOPORVM ET ABBATVM QVI VEL BENEFICIA VEL TALIA PROPRIA HABENT VT EX EIS SECVNDVM IVSSIONEM IN HOSTEM BENE POSSVNT PERGERE, EXCEPTIS HIS QVOS EIS SECVM DOMI REMANERE PERMISIMVS. SI ALIQVI INVENTI FVERINT QVI VEL PRETIO SE REDEMISSENT VEL DOMINIS SVIS PERMITTENTIBVS DOMI REMANSISSENT, BANNVM NOSTRVM SICVT SVPERIVS DICTVM EST REVVADIENT ET FIDEM FACIANT AC PERSOLVANT. DOMINI VERO EORVM QVI EOS DOMI REMANERE PERMISERINT VEL MINISTERIALES EORVM QVI AB EIS PRECIVM ACCEPERVNT SIMILITER BANNVM NOSTRVM REVVADIENT ET FIDEM FACIANT VSQVE DVM NOBIS NVNTIATVM FVERIT. cf. Capit. Bonon. a. DCCCXI. 9. si autem ipsi Seniores non in hostem uaderent ideo non hominibus militia remissa est, sed cum Comite eis proficiscendum erat. Capit. de Exerc. prom. 1. multos tamen contra legem se oneri grauissimo subtrahere tentauisse patet ex ipsa legum de desertione militiae latarum frequentia. cf. Capit. a. DCCCV. 19. Capit. de exped. exerc. a. DCCCXI. 8. itaque cautum ne fraudulentae commendationes auctoritati Regiorum magistratuum obponerentur, cessante eo Immunitate. cf. Capit. Gener. Olonn. a. DCCCXXV. 2. 3.

§ 26. Nihilominus Seniores plurifariam pro suis hominibus odiosi muneris remissionem consecuti sunt. primum enim inde ab a. DCCCXI. generatim constitutum ut Comitibus Senioribusque certum hominum numerum domi pro familiae procuratione relinquere liceret. cf. Capit. de exerc. prom. 4. Capit. Bonon. a. DCCCXI. 9. Capit. de exped. Corsic. a. DCCCXXV. 3. Capit. eccles. Olonn. a. DCCCXXV. 4. cet. neque infitiandum est Seniores ex mandato deligendorum

instruendorum ducendorum militum munere praeter graue propriae potestatis pondus magnam in disponendis hominum suorum stipendiis temperandaque militia auctoritatem obtinuisse. item etiam ecclesiastici Seniores eximiam rei militaris potestatem in homines suos adsecuti sunt, quos ipsi in acie spretis Ecclesiae et Regum legibus plerumque duxerunt. cuius rei uide exempla ap. Roth pag. 355. 356. cf. Capit. Karlom. a. DCCXXXXII. 2. Pippini a. DCCXXXXIIII. 3. Karoli M. a. DCCLXVIIII. 1. quae ratio certe ex quadam temporum necessitate prouenit et ex solita ista aetate iuris publici ac priuati confusione quae inde orta est quod uim et officia imperij auctoritate domestica corroborare et priuatorum potestates etiam in publicos usus uertere uoluerint. haud inmerito reprehensus est Roth quod eum rerum ordinem tempori satis consentaneum ex compositis artificiis et dedita opera gubernantium deduxerit cf. Waitz Vass. pag. 75. ceteroquin in ipsa rerum expositione certiorem illo non habuerim auctorem.

In primis Ecclesiae mature ampliorem militiarum gratiam singularibus Regum priuilegiis impetraverunt. cuius exempla uide ap. Roth pag. 391. 15. in adnot. pag. 405 seq.

§ 27. Hanc igitur rerum militarium explicationem si collegerimus dicendum est per Immunitatum ordinem nihil leges imperij ad militiam spectantes mutatas esse. adstricti faciendis stipendiis liberi homines nequaquam uinculo Regiarum constitutionum soluti sunt neque nouata Senioratus nexu publica obligatio. nec tamen negandum est hoc quoque capite Seniores graui auctoritate potitos esse quae etsi initio a communi lege non degressa sit principia tamen deflectendae in posterum imperij formae continuit.

III. QVOAD FISCALIA

§ 28. Fiscalia quoque iura magni momenti Immunitati inerant. primum ex ipsa concessa iurisdictione sequebatur ut reditus inde quaerendos uelut freda et mulctas domini in

proprium usum acciperent. pro tempore illo quo aestimatae ex pecuniaria potissimum sua natura iurisdictiones maxime pro emolumento exercentis habebantur, fere natura factum est ut praecipua huc intenderetur consideratio, uelut in uerbis Marc. Form. I. ij. SVB OMNI EMVNITATE HOC IPSE MONASTERIVS VEL CONGREGATIO SVA SIBIMET OMNES FREDOS CONCESSOS DEBEANT POSSIDERE. Ecclesiarum praesertim Aduocatis qui quod bannum ab ipso Rege accipiebant eo maiore potiebantur auctoritate, tertia eorum redituum pars sic ut in Comitatu Comiti generatim adtributa est. quae ratio definitur uerbis Dipl. pro Monast. Masonis a. DCCCXXIII. in Böhmer Reg. n. 359. QVIDQVID VEL VBICVMQVE IPSE ADVOCATVS IN ABBACIA PLACITANDO ACQVISIERIT ABBATISSA DVAS PARTES ACCIPIAT ILLE TERTIAM.

Praeterea et aliorum Fisci redituum perceptio exclusis ministris regiis in Immunitatum dominos translata est. supra monuimus Immunitates initia ex uectigalium remissionibus duxisse. nec tamen idcirco subditi homines tributis omnino liberabantur. eo tantum aliquid forte profeceruut quod ex descriptione paene familiari aequiorem habuerint praestationum ordinationem quam ex casu functionum publicarum et libidine legatorum ministrorumque regiorum. quo spectant quae in formularum tenore saepe repetuntur, NEC MANSIONES AVT PARATAS FACIENDVM NEC EOS DE QVASLIBET CAVSSAS DISTRINGENDVM NEC VLLAS REDHIBITIONES REQVIRENDVM cet. congruens porro fuit ut domini pro impetrata ab onerosis muneribus liberatione quasi pretium gratiae ab hominibus suis aequam operarum tributorumque praestationem poscerent et ex tenore praeceptorum regiorum PER MANVM AGENTIVM EORVM perciperent. quod significatum confirmatumque his uerbis in Marc. Form. I. ij. QVIDQVID EXINDE FISCVS NOSTER FORTITAN DE EORVM HOMINES AVT INGENVOS AVT SERVIENTES IN EORVM AGROS COMMANENTES VEL VNDECVNQVE POTERAT SPERARE EX INDVLGENTIA NOSTRA IN LVMINARIBVS IPSIVS SANCTI LOCI VEL IN STIPENDIA SERVORVM DEI . . PRO MERCEDIS COMPENDIVM DEBEANT CVNCTA PROFICERE. saepe expresse Ecclesiis Monasteriisque concessum

ut tributa usque adhuc publica proprio iure exigerent. cf. Waitz II. pag. 506. in adnot. sed ad hoc caput referendae sunt pensionum quoque censuumque obligationes quibus homines Immunitatum ex commendationibus et senioratu adstringebantur. nam quicumque se sub domini cuiusdam defensionem constituerent eos censu inde obligari et moribus et lege sancitum. huic conditioni adnumerandi sunt liberi quos uocabant MALMANN. cf. Walter § 75. 1. item ij qui pro certa pensione praedia uel sua quae obtulerant uel alia mansorum censilium nomine ab Immunitatum dominis receperunt. quae conditiones per aliquot hominum aetates ita continuatae sunt ut permulti inde liberi in terra immuni degentes per praestationes tributorum more stabilitas prorsus dominis uectigales facti uiderentur.

§ 29. In pari successu et cetera uectigalia habita sunt. nam non id tantum impetrauerunt Ecclesiae ut a plurimis teloneorum aliisque huius modi praestationibus liberarentur, cuius permulta leguntur exempla in Brequigny Diplomatibus et Böhmer Regestis. sed mox etiam obtinuere ut ea uectigalia intra immunes terminos in proprium usum exigerent, siue fruerentur expressa eius modi concessione qualis est in Breq. Dipl. CLXVII. CCXLII. CCXLVII. CCCXIX. CCCCLXXVII. siue iura ea ipso soli dominio contineri uiderentur ubi includerentur territoriis prisca fora, uiae, pontes, unde domini a mercantibus peregrinantibusque telonea, uiatica, pontatica solito more exigerent, quae quidem ex ipsa fororum, uiarum, pontium, totiusque territorij possessione sequebantur utpote merces praestandi peregrinantibus adiumenti instituendorumque et curandorum in communem utilitatem operum. satis testantur Regum Capitularia. ex quibus uero id quoque collegitur, dominos non iniustis artibus usurpationibusque pepercisse quibus ista sua iura amplificarent, siue noua ex arbitrio instituerent fora, uias, pontes, siue uiatores ad iter per territoria teloneaque sua dirigendum cogerent, denique omnibus modis libera in campis et fluminibus itinera commerciaque impedirent, tanta iniquitate onerosissima uectigalia sibi adrogantes. cf. Capit. min. a. DCCCIII. in append. 1. Capit. Misso cuid. d. a. DCCCIII. 6. Capit. al. add. a. DCCCIII. 22. Capit. Theodon. a. DCCCV. II. 13. Niumag. a. DCCCVI. I. 10. Aquisgr. a. DCCCVIIII. 8. Aquisgr. gener. a. DCCCXVII. cap. leg. add. 17. eiusd. cap. Miss. 4. et 16. Aquisgr. a. DCCCXX. 1. a. DCCCXXV. 21. et 22. quae res utut se habet certe ex diuersis fontibus multisque uectigalium caussis Seniores Immunitatum eminentia in territoriis suis iura fiscalia ordinatasque tributorum exactiones conquisierunt.

IIII. QVOAD STATVENDA PVBLICI REGIMINIS IVRA

§ 30. Quibus omnibus et alia publici regiminis iura adcessere. etenim tum temporis iurisdictione quasi summa totius administrationis ciuilis contineri credebatur utpote cetera complectente regiminis officia quatenus non ad singulorum libertatem pertinuerunt. in iudicando potissimum positum erat gubernantium munus, quo ex fonte cetera imperij iura descendere uidebantur. cf. Zoepfl § 47. quare fieri non potuit quin Immunitatum dominis praeter iurisdictionem cetera quoque imperia adtribuerentur cum quadam iuris de publico regimine edicendi facultate. quod quidem ex Praeceptorum Formularumque sensu etsi non expressis uerbis collegendum est. item ex territorij dominatione ius munusque erat ut omnia publicae utilitatis opera custodirent et ordinarent, leges de istius modi institutis ederent. quarum potestatum summa erat confirmatio in iuramento fidelitatis a colonis ipsisque liberis in territorio commanentibus debito. unde sane uera sub dominorum iure subiectio constituebatur. cf. Capit. Theodon. a. DCCCV. II. 9. et Walter § 76. 15.

§ 31. Maxima illa Immunitatum uis ad omnia publicorum imperiorum capita pertinens mox numero et extensione eorum priuilegiorum in immensum prolata est. iam diplomate Hludouici Pij pro Monasterio Corbeiensi a. DCCCXXIII. in Böhmer

Reg. n. 364. memoratur omnes in Francia Ecclesias immunitate frui qualis praedicto Monasterio concedatur. sed maxima iam euasit prolatio ubi propter dirimendas controuersias quae ex confinio publici priuatique imperij orirentur augendamque iuris reddendi facilitatem praeter potestatem in proprios homines, colonos, subditos qualescumque in territorio immuni commanentes, Senioribus imperium additum est etiam in ingenuos praediorum possessores quorum agri finibus Immunitatum inclusi uiciniue erant. exemplo sunt dipl. Hlud. Germ. pro Ecclesia Wormaciensi a. DCCCLVI. in Böhmer Reg. Karol. n. 777. et Karoli Crassi Imp. Praeceptum pro Eccl. Gerundensi a. DCCCLXXXVII. ap. Baluz. II. col. 1514. IPSI VERO HOMINES QVI IN SVPRA DICTIS VILLIS HABITANT VEL HABITATVRI SVNT TALE OBSEQVIVM VEL TALE SERVITIVM SVPRA DICTO EPISCOPO VEL SVCCESSORIBVS SVIS FACIANT VEL SERVIANT QVALE AD COMITES NOSTROS FACERE CONSVEVERVNT TAM HISPANI QVAM CAETERI. ET NVLLVM ALIVM CENSVM VEL SERVITIVM VLLO VNQVAM TEMPORE INGERERE QVIS PRAESVMAT.

CAPVT TERTIVM. QVID MOMENTI CIRCA LIBERTATEM GERMANICAM HABVERINT VASALLITAS ET BENEFICIA

§ 32. Simili ad libertatem Germanicam effectu tetenderunt illis temporibus alia duo instituta quorum complexio Immunitatibus arcte connexa fuit. Vasallitatem dico et Beneficiorum ordinem.

Quae quidem diuersis fontibus orta non plane in unum confundere licet. postea sane facta est confusio ubi quasi mutua amborum coagmentatione, adcommodato iam per Immunitates iure publico ad priuati iuris formas, ex diuersis elementis Feudalis ordo compositus et totam rerum hominumque compagem amplexus est. attamen quum nostri non sit propositi Vasallitatis et Beneficiorum originem uicesque penitus disquirere, id solum exponamus quibus rebus amborum uis ad mutandam libertatem Germanicam perspiciatur.

I. VASALLITAS

VASSI REGVM

§ 33. Postquam pluribus et exactissimis recentiorum disquisitionibus multi quum in hac tum in aliis similibus disciplinis inueterati errores detecti sunt, maxima orta est controuersia de uero Vasallitatis principio initiisque. qua in re id certe extra dubitationem est plures eam priscarum conditionum caussas effecisse.

Propria Vasallitatis natura erat in mero personarum nexu posita reciprocationem obsequij et protectionis continente, quum ad Regem tum ad ceteros proceres pertinente. quae forma primis auctibus exfloruisse uidetur sub initiis potestatis Karolingicae. inde species iuris prouenit aeque pristinis Germaniae temporibus ac Merouingorum aetate ignota, priuatis uidelicet circumdati comitatus. quos legibus priscorum Germanorum prorsus repugnasse satis probauit Roth pag. 17.. 20. 145..169. a quo refutata est sententia plerorumque praesertim recentiorum in Francia scriptorum iniqua Germanicae barbariae inordinationisque opinione obcaecatorum.

Sed e Principum comitatibus a Tacito descriptis processerunt insignitae singulari fide eximioque praesidio copiae Antrustionum, qui Regis in commendationem praestito in manus ipsius iuramento recipiebantur. cf. Form. Marc. I. xviij. horum tamen Antrustionum excellenti honore ac triplici compositione (*wergeld*) decoratorum nomen exstincta Merouingorum stirpe in desuetudinem abiit. at supra consuetum fuisse memorauimus ut Ecclesiae, Monasteria, pauperes, quicumque singulari egerent defensione, commendatione se in Regis mundiburdium conferrent. iam satis rerum naturae conuenit ut illae Trustis ac Mundiburdij formae qua utraque rursum magna conditio-

num ac graduum uarietas continebatur, extensis paullatim multifariam earum potestatum nexibus, mox mutua commissione confunderentur. quare haud facile decernas ex utra Vasallitas magis proprie profecta sit, quippe quae ab Antrustionibus iurandae in Regis manus fidelitatis formam, nomen autem commendationis et alia plura habuerit. sed propter ipsam eam confusionem parum nostra refert quid ex tali subtilitate conficiendum sit. certe Waitz Vassal. pag. 49. seq. falsam sententiam conuicit qua Roth pag. 382. seq. Vassos Dominicos nomine tantum ab Antrustionibus distinctos fuisse adserebat. nec tamen ipsi adstipulandum censeamus Vasallitatem e solis fere priscis in mundiburdium commendationibus deducenti, Vassal. pag. 52. seq.

Quod quidquid est illi Vassi aut Vasalli Regales siue Dominici uel ut postea etiam adpellabantur Maiores homines re uera in ipso Regis comitatu plerumque inueniuntur aut ad procuranda rei domesticae ministeria designati aut quibus alia negotia legarentur aut etiam in publica munia adhibiti, ueluti plurimis illius aeui documentis uidendum est qualia adferuntur ap. Waitz Vassal. pag. 13. seq. et Roth pag. 383. seq. quare ex familiari illa Regum consuetudine, publicis praeterea erga Regem officiis a priuatis omnino non distinctis, honores et commoda traxerunt quibus plurimi rursus in eosdem nexus adliciebantur. expresse in legibus commemoratur egregia eorum prae ceteris ingenuis dignitas ut in Const. Olonn. a. DCCCXXIII. cap. 13. nec minus ipsi Reges seditiosos regni proceres arcto sibi uinculo conciliare et praebita honestatis specie pro obsequio ac submissione deuincire studuerunt.

VASSI PROCERVM

§ 34. Simili ratione circum proceres regni Vasallitas prioribus conditionibus eualuit. scilicet legibus moribusque probatae erant commendationes in mundiburdium non minus potentis regij ministri uel opulenti nobilisque uiri quam Regis ipsius. inde magna totius hominum societatis pars uariis patrociniorum senioratuumque nexibus deuincta. at proceres auctam habebant ex suscepta tutela gratisque clientum obsequiis dignitatem. multi praeterea praesidij, honoris, ministerij caussa soliti sunt armatorum sibi manus circumdare quos ex subditorum sibi hominum quum maxime seruorum numero delegebant. cuius consuetudinis exempla contulit Roth pag. 152..156. etiam liberorum illis ministeriis se praebentium prima uestigia e tempore Karoli Martelli exstant. cf. Roth pag. 156. sed notatu dignum est nouae illius conditionis nomen a domestici ministerij designatione sumtum esse. nempe Vassum ueteres in uerbi famuli significationem accipiebant. cf. Waitz *Verf. Gesch.* II. pag. 152. 3. Roth pag. 367. seq. quo magis ueri simile uidetur Vasallitatem e seruilibus cateruis ministeriisque famulorum initia duxisse. sed satis congruens est liberos homines tutelae cupidos excellentia potentis uiri et armorum decore in conditionem adlectos fuisse digniorem quam quae censibus inliberalibusque seruitiis constaret.

VASALLITATIS VIS CIRCA LIBERTATEM GERMANICAM

§ 35. Vasallitatis obligationes mox in totum regnum extensae graue necessario momentum ciuium statui adtulerunt. quippe antiqua nudae libertatis species nouorum uinculorum commodis et decore obsequij obscurata est. adcedebat obedientiae pretium ex efficaci Seniorum defensione, dum Vasalli iisdem quibus ceteri commendati homines conditionibus fruerentur, eximia insuper dignatione elati. itaque Senior uasallos sua auctoritate repraesentabat, ulciscendas eorum iniurias suscipiebat, uictum cultumque eis suppeditabat. quibus si non satisfiebat aut grauiori Seniorum iniuria premebantur uasalli, obsequium renuntiare licuit. Const. de liberis a. DCCCXVI. 2. praeterea uasallus Seniorem libere electum, id quod

patet ex Capit. Pipp. in Pap. a. DCCLXXXX. 13. Diuis. Imp. a. DCCCVI. 10. a. DCCCXVII. 9. a. DCCCXXX. 6. Conu. ap. Marsnam a. DCCCXXXXVII. adn. Kar. 2. fide et obedientia usque uitae terminum prosequi debuit. cf. Capit. Vermer. a. DCCLIII. 9. Compend. a. DCCLVII. 9. Aquisgr. a. DCCCXIII. 16. et 20. Aquisgr. a. DCCCXVII. cap. Missor. 27. cuius familiaritatis arcta uincula Germanorum fidei et iuuenili cuidam deuotioni maxime consentanea erant. unde euecta in summam auctoritatem Vasallitas libertatis per se stantis solitudinem in despectu reliquit.

II. BENEFICIA

BENEFICIORVM ORIGO

§ 36. Haud dissimilem caussam Beneficia habuerunt utpote quae cum Vasallitate postremo in unum confluxerint. quorum natura in eo uersabatur ut acceptis iure usufructuario praediis fructuarius singulari erga dominum nexu teneretur. quod institutum non prius quam initiis Karolingorum in usum uenisse certissimis argumentis praecipue probauit Roth. nam frequentissimas Merouingorum donationes quas alij auctores et adhuc maxime Waitz Beneficiorum ordini adsignauere et tantum per uitae spatium singularisque ministerij conditione constitisse censuerunt, eas proprium hereditariumque ius continuisse demonstratum est. prima autem Beneficiorum initia non ex Regum largitionibus profecta sunt sed ex priuatis pactionibus quibus maxime Ecclesiae utebantur in administratione culturaque latifundiorum suorum hominumque numerosissimorum sustentatione. praedia scilicet ecclesiastica nomine Precariarum siue Beneficiorum iure usufructuario aut hereditario pro certo censu aliisue praestationibus conferebantur. qui usus agrorum fructuario iure collocandorum certe pridem obtinuit, forsan etiam a Romanis petendus est. sane a Germanis mox in rationem prorsus aliam traductus est. cf. Waitz II. pag. 195..206. in primis exempla in adnot. pag. 196. seq.

neque minus laici etiam ante Karolingorum aetatem agros in beneficiaria iura transferebant. sed maxime ad ipsam remp. ualuerunt Beneficia postquam Karolingi institutum antea mere priuatum in publicos usus conuerterunt, eo scilicet tempore quo Karoli Martelli filij ecclesiastica bona generali quam dixerunt Diuisione capessiere. quae quidem non proprietate ademta publicauerunt sed seruato beneficiorum more usufructuariis conlationibus distribuerunt. ius pristinum Ecclesiae post uniuscuiusque Beneficiarij mortem redintegrandum fuit, nisi nouae inde largitionis materiam Fiscus usurparet. ita beneficiorum durauit usus uetusque nomen re ipsa mutata, quum ea iam non ab Ecclesiis ex iusto dominio sed a Regibus ex libidine et pro munere publico concederentur. optime totius rei ratio adparet ex ipsius Karlomanni uerbis in Capit. Liftin. a. DCCXXXIII. 2. unde et Ecclesiarum consensus collegitur. neque ea erat confiscatio sed magis tamquam necessarium commodatum, quum Fiscus comparatas ita facultates non donationibus quales hactenus usitatae erant consumeret sed in ius mere precarium conferret. inde reseruato ecclesiasticae proprietatis nomine possessoribus nonae ac decimae impositae erant.

At illam concessionum formam mox Reges etiam de proprij fisci praediis imitati sunt, magna ea utilitate ut non sic ut pridem crebris donationibus ipse donandi fons exhauriretur, utque beneficiarios obligatione obsequij et conscientia precariae possessionis strictius deuinctos haberent. inde distinguebantur regia beneficia utrum ecclesiasticis an fiscalibus agris constarent, id quod legitur in Capit. Niumag. a. DCCCVI. II. 6.

Pari ratione etiam priuati bona sua siue propria siue a Regibus iure beneficiario accepta eodem rursus iure in alios contulerunt. unde multiplex Beneficiorum uarietas et gradatio orta est.

§ 37. Itaque Beneficiorum natura a Vasallitate uere diuersissima. haec mero personarum uinculo, illa nexu e praediorum concessionibus deducto constabant. quam diuersitatem eamque sententiam, Vasallitium nullo opere ex Beneficiorum possessione necessariam habuisse conditionem, permultis probare licet documentis uelut Capit. a. DCCLXXVIIII. 9. Capit. Bonon. a. DCCCXI. 7. Praec. pro Hisp. a. DCCCXV. 6. et a. DCCCXXXXIIII. 10. e contrario mature necessarium uisum est ut quicumque beneficia possiderent commendatione obligarentur. quod quidem Waitz Vassal. pag. 23..42. contra Roth aliorumque opinionem demonstrauit. id et ad regia et ad priuata beneficia nulla distinctione spectat. nec tamen illa necessitas ex ipsa beneficiorum natura oriri uidetur. cf. Zoepfl pag. 298. seq. cum adnot. ubi etiam argutior utriusque nexus separatio documentaque eius quae postea facta est confusionis inueniuntur. sed quum pro mutuis conlatorum et acceptorum beneficiorum uinculis certa obligationum forma opus esset, atque uideretur, quicumque aliqua a potentioribus conlatione frui uellet, ei et personarum nexum ineundum esse, reapse commendationum usus huc extensus est.

Ergo si quis munus quodlibet etiam publicum a Rege acciperet, singularis fidelitas generali iam commendationum forma praestanda erat. consequens fuit ut mox omnes Comites, Episcopi, Abbates, Seniores nexu uasallitico paullatim adstringerentur, qua re fit ut post Hludouici Pij imperium Vassi Dominici et Regiorum Beneficiorum possessores prorsus eidem esse uideantur.

In uniuersum igitur eamdem Beneficiorum quam Vasallitatis uim fuisse circa libertatem Germanicam uidemus. hanc magna deinde nexuum uarietas complexa est quae obscurato per obsequij honores prisco ingenuitatis decore ordinem liberorum paullatim absorbuit.

CAPVT QVARTVM. VT IN HERIBANNI LOCVM FEVDALIS MILITIA SVBIERIT ET QVID LIBERTATIS GERMANICAE INTERFVERIT

QVAE EX SVPRA DICTIS CONSEQVANTVR

§ 38. Explicato Immunitatum, Vasallitatis, et Beneficiorum ordine ostendimus tria illa instituta iisdem fere caussis aut propagata aut coercita libertatem Germanicam ad eosdem fere euentus egisse. quam expositionem ad quattuor illa capita referendam esse censuimus, ad ordinationem scilicet iudiciorum, militiae, rerum fiscalium, iuris de publico regimine statuendi. unde duplicem conclusionem collegimus. nam altera ex parte Seniorum homines priuatis iudiciis, tributis, et regimini dominorum suorum obnoxij quod ad eas res adtinet directa publici Regalisque imperij communione medio interposito priuati sunt. altera autem ex parte militarium rerum leges publicumque heribanni ius neque Immunitates quidquam nec Vasallitas nec Beneficia mutauere. obligari liberos omnes militia ut ex ipsa libertatis natura consequens remansit, qua de re ne quidquam quidem Karoli Magni Capitularibus a. DCCCVII. et DCCCXI. derogatum est. Imperator id unum egit ut asperae militiae longinquarumque expeditionum duritiam leniret, quum eos tantum ad arma conciret qui facultatum suarum copia sustinendis militiae oneribus pares uiderentur, ceteros nisi clementiore pro portione rata praestatione non adstringeret. quae facultatum aestimatio in eis qui soli aliquid possidebant ex praediorum mensuris facta est, in quo beneficia proprietati prorsus adaequata sunt. iniquum enim uidebatur beneficiorum possessioni unde plurimis e populo laeta securaque uiuendi copia usque ad mortem proueniret, quum paria fere haererent commoda, non aeque paria munera iniungi. itaque inter homines plena libertate gaudentes et liberos quoquo modo potentiorum potestati subditos quoad

militiae munus et conditionem nulla prorsus distinctio erat. id tantum differebat quod in uasallis ceterisque suis hominibus ad exercitum contrahendis et ducendis Senior uicem Comitis susciperet praestandaque eorum praesentia teneretur. sed heribanni mulcta ab hominibus Seniorum non secus atque ab aliis Fisco non Seniori pendebatur. neque hic militiam ex priuata uasallitij aut commendationum pactione sed ex ipsis Imperij legibus neque proprij obsequij et commodi gratia sed prout Regi et Imperio debitam iniunxit et comparauit. errabant igitur ueteres posteriorumque temporum instituta ad anteriorem aetatem transtulerunt, qui contenderent praeter heribanni ordinem etiam alias a Senioribus copias tamquam iure feudali conscriptas ac ductas esse. uerius ea quae supra tractauimus sententia duplici concludamus

I. Immunitates, Vasallitas, Beneficia libertatem Germanicam multis quidem mutauerunt ac multifarie territoriorum dominis subiecerunt, quoad heribanni tamen militiam subsistentibus Imperij legibus integram antiquo ordine reliquerunt

II. His nexibus non impliciti seruauerunt plurimi omnium conditionum plenum priscae libertatis ius, qui neque ulla Immunium dominorum potestate neque Vasallitij obligationibus neque conlatis Beneficiis et auctoritate potentiorum adstringi se passi sunt.

§ 39. Cui euoluendae argumentationi congruit si transitionem libertatis Germanicae in subiectionem territorialem et priscae rerum publicarum rationis euersionem perfectione iuris feudalis quod medio isti aeuo proprium erat absolutam gemina iam explicatione protrahamus. nempe ostendendum est

I. quo modo etiam militarem rem quod adtinet leges Imperij et publica heribanni auctoritas priuatis Seniorum potestatibus unoque uasallitio praeualente subuersae sint

II. quo modo reliqui liberi usque ad illa tempora heribanno obnoxij subinde in commendata Regis aut procerum patrocinia et uasallitates transierint et noua subiectione in

nexus priuatarum potestatum iam omnia complectentes redacti sint.

Sed animaduertendum duo haec capita non ita inter se distincta, immo ex uno eiusdem quaestionis corpore etsi in diuersas partes prodire. quam quaestionem peracturis praecipua occurrit rerum militarium ordinatio ut quae summum circa conditionum hic examinandarum rationem momentum habuerit. cetera inde plerumque orta sunt aut eo adtinuere, quod non mirum uidebitur in aetate quae bellicae potissimum uirtutis ac gloriae studiis rapta summam armorum tractationi operam nauauit uniuersaeque hominum societatis fundamenta in rerum militarium ordine posuit.

§ 40. Quibus praemissis ad medium illud aeuum transeamus in quo diuersorum territoriorum separatio ab unitate Imperij summopere exfloruit. hactenus maxime Francici Regni instituta Karolingicique imperij ordinationem inspeximus. quae omnia plena communicatione ad totam Germaniam pertinuerunt. una eademque mens ingentis regni molem agitauerat, eaedem leges constitutionesque in uastae dominationis uniuersitatem diffusae erant, coactis in unam compagem omnibus orbis Germanici futuraeque Europae elementis. quare etiam ubi grande corpus tumentibus fermentis atque erumpentium undique partium ui laxatum direptumque est, et in primis Regnum Teutonicum propriam separatamque iniit uiam, durauit tamen diu ac multifarie pristina communio recordatione aequalis imperij, sociae gloriae, consanguineae nationum originis. itaque insequentis seculi historiam uno cum praedictis contextu continuabimus.

DE MOLESTIA HERIBANNI ET OPPRESSIONE PAVPERVM

§ 41. Militiae munus quantumuis a Karolo Magno subleuatum plerosque tamen graui etiam tum onere pressit. iam non ut in prisca Germania omnes se semper armatos et ad expeditiones adcinctos praebere licuit. immo odiosum erat

stabilem sedem domumque suam, familiam, industriosae uitae necessitudines linquendas ac Regem in diuersissimas partes sequendum esse. sane pertinacia cum finitimis barbaris proelia, ciuilia fraternaque Karolingorum bella, ipsa imperij uastitas audacibus undique incursionibus lacessita, haec ut postremo patientiam uiresque hominum exhaurirent quos uitae consuetudo ab armorum tractatione auocauit, satis naturale erat.

Id patet etiam ex omni artium genere quibus homines heribannum decipere tentarent, quas fraudes persaepe in Capitularibus animaduerti uidemus. nec Seniores minus studuerunt [ut homines suos a molestia militiae eximerent et quoquo praetextu domum dimitterent. omni itaque sua auctoritate contenderunt ut legitimis illos excusationibus leuarent, saltem ius strictum lenirent priuilegiis. supra iam in tractandis Immunitatum initiis memorauimus ut saepenumero Senioribus contigisset remitti ipsorum hominibus militias. quod mature expressa Regum gratia concessum est, id quod inuenitur in saepe laudatis Corbeiensibus priuilegiis et in Praecepto Regis Pippini pro Ecclesia Parisiensi cit. in dipl. Hlud. Pij. a. DCCCXX. ap. Bouquet VI. 525. quo indultum est Episcopo nullum hominum suorum nisi una cum ipso aut secundum ipsius ordinationem in hostem pergere. talia exempla cum militiae grauitate comparata plurimos liberos inlexerunt ut commendatione in Senioris alicuius defensionem remedium tantae molestiae et securitatem quaererent. certe sperata eorum priuilegiorum participatio et dominationis benignae regiminisque bene ordinati intuitus satis multos induxere ut libertatem suam ultro amitterent. sed multos aliae caussae impulerunt. ad iniuriam temporum accessit Comitum Seniorumque adrogantia qui potentia ad inpotentiam usi miseris uexationibus, iniquis ad placita et ad militiam citationibus, inposita in propriam utilitatem operarum soli rei publicae debitarum praestatione, quin etiam liberae proprietatis laesione ingenuos cogerent ut commendationum uinculis semet ipsos constringerent. cuius rei testimonia perhibent innumerae

leges in prauitatem illam latae, ad remedium tamen haudquaquam sufficientes. cf. Capit. Miss. a. DCCCII. 11. Capit. de exped. exerc. a. DCCCXI. 2. et 3. QVOD PAVPERES SE RECLAMANT EXPOLIATOS ESSE DE EORVM PROPRIETATE. ET HOC AEQVALITER CLAMANT SVPER EPISCOPOS ET ABBATES ET EORVM ADVOCATOS ET SVPER COMITES ET EORVM CENTENARIOS. DICVNT ETIAM QVOD QVICVMQVE PROPRIVM SVVM EPISCOPO ABBATI VEL COMITI AVT IVDICI VEL CENTENARIO DARE NOLVERIT OCCASIONES QVAERVNT SVPER EVM PAVPERVM QVOMODO EVM CONDEMPNARE POSSINT ET ILLVM SEMPER IN HOSTEM FACIANT IRE VSQVE DVM PAVPER FACTVS VOLENS NOLENS SVVM PROPRIVM TRADAT AVT VENDAT, ALII VERO QVI TRADITVM HABENT ABSQVE VLLIVS INQVIETVDINE DOMI RESIDEANT. Capit. Theodon. a. DCCCV. II. 16. Constit. Pap. a. DCCCXXXII. 7. Capit. Langob. a. DCCCII. 21. COMITES VERO NON SEMPER PAVPERES PER PLACITA OPPRIMANT. item Capit. Ingelh. a. DCCCVII. 12. Capit. a. DCCCXVI. 3. Capit. Ticin. II. a. DCCCLV. 14. Capit. Aquisgr. a. DCCCXIII. exc. can. 22. et Capit. Lang. eiusd. a. 16. Capit. Langob. a. DCCCIII. 17. Epist. ad Pipp. a. DCCCVII. Capit. Ticin. a. DCCCI. 15. Capit. al. add. a. DCCCIII. 17. Capit. Hlud. II. a. DCCCLXXV. 34. exemplum adrogantiae eorum qui tunc in potentia erant legitur in Actis fundat. Monast. Murensis ap. Herrgott I. 325. Walter § 139. 16.

DE FREQVENTIA COMMENDATIONVM ET DE HOMINIBVS ADVOCATITIIS

§ 42. Inde effectum est ut multitudo liberorum etiam proprio fundo gaudentium se bonaque sua in potentiorum potestatem traderent et commendarent quum secularibus uiris, Comitibus, Vassis Regiis, aliisque optimatibus, tum maxime Episcopis Abbatibusque. quarum traditionum quanta frequentia quantaque formarum uarietas fuerit docent copiosissima quae adhuc ex ista aetate exstant monumenta. ita in Polypt. Irmin. ap. Guérard II. 31. Isti homines fuerunt liberi et ingenui. sed quia militiam Regis non ualebant exercere tradiderunt alodos

suos S. Germano. cf. plura traditionum diuersarum figurarum exempla ap. Walter in adnot. § 212. inde intellegimus promissae defensionis pretium non tantum condonata proprietatis ac libertatis integritate sed plerumque etiam annuo censu constitisse. quo quidem fiscalia Seniorum iura valde amplificata sunt. at ex illa subiectione sub aduocatiam priuatorum orta est antiquae publicae libertatis loco designatio HOMINES ADVOCATIARVM ut in Heinrici coronatione a. MCCXXII. siue ADVOCATITII uelut in Heinr. R. Stat. in fau. Princ. a. MCCXXXI. Frid. II. Imp. Curia Sibid. a. MCCXXXII. Rud. Sent. de partu a. MCCLXXXII. cet. uel ex Teutonica adpellatione in Speculis iuris usitata *Plechhafte*, *Pfleghafte* scil. qui tenentur censu, *pflege*, *pflicht*, *redevance*.

DE INCREMENTIS SENIORATVVM

§ 43. Quae rerum personarumque nouae conditiones magnam uim in mutanda totius reip. ordinatione habuerunt. nempe re ipsa liberorum hominum numerus qui directo sub regiis Comitibus publica auctoritate militiam heribanni deberent in magnam paucitatem decreuit. tanto auctae sunt circum Seniores copiae commendatorum tantoque magis firmatae illorum potestates. inde Seniorum dominatus multitudine hominum elati ipsis hominibus eo grauius incubuerunt. senioratus uincula quoscumque amplectebantur arctius constrinxere. similis ratio et in soli dominationibus eualuit. nam agri quos Seniores aut ipsi aut per alios tenerent quoscumque ullo nexu haberent sibi obligatos, clausorum territoriorum formas acceperunt. terrae dominatio immunitatibus fundata, commendationibus et traditionibus aucta, temporis tractu et senioratus ui prolata, penitus consolidata eoque ualidius certis aduersus extera finibus determinata est. mox totum imperium distinctis priuatisque aliquorum ditionibus diuulsum iri uisum est.

§ 44. Attamen Seniorum potestas re magis quam iure amplificata nondum ad id publicae auctoritatis culmen prouecta erat qua nitebantur qui directo Regis nomine plebi integra adhuc libertate gaudenti imperabant. quibus ut aequipararentur Seniores unum necessarium uidebatur, quod re uera contigit, ut iura Heribanni et Comitatus insuper adquirerent. uaria enim saepiusque memorata nexuum uincula quibus Seniores suos homines etiam militaris rei respectu constrinxerant, prorsus a Regibus neglegi nequierunt. immo reipublicae tempestatibus effectum est ut dominorum potestas quae ualuit iam in disponendis hominum militiis publice quoque agnosceretur.

Initium fuit quod in primis Ecclesiis monasteriisque permitteretur mulctarum heribanni in proprium usum exactio quae antea Missorum fuerat. quod quidem haud incommode ex ipsius immunitatum ordinis natura sequi uidebatur dum dominis hae mulctae simili ratione atque alij reditus aliaque Fisci iura concederentur. re uera ex ista concessione omnis ordinatio et coercitio in militaribus hominum suorum muneribus dominis adcreuit. cf. priuilegia pro Prumensi Monast. ap. Hontheim Hist. Trevir. I. pag. 134. et 175. item pro Eccl. Wirceburg. ap. Ussermann IX. pro Eccl. Mindensi a. MXXXVIIII. in Böhmer Reg. n. 1445. alia exempla citantur ap. Waitz II. pag. 506. 2.

Mox autem et ipse Heribannus concedi uisus est, militare scilicet illud imperium quod antea nisi publica auctoritate non competiit. ita iam a. DCCCCLXXXXII. adtribuit Otto III. Imp. Ecclesiae Halberstadtensi REGALEM HERIBANNVM SVPER MILITES ET SERVOS EIVSDEM ECCLESIAE. inde ius quoddam decretorium exstitit quod ubi eualuit omnia elementa concurrerunt quibus liberorum hominum subiectio sub plenum ius Dominorum terrae consummanda erat.

VT CONFVSI IN VNAM CLASSEM SENIORES COMITESQVE NOVA DOMINIA IVRE COMITATVS FVNDAVERINT

§ 45. Summi in his rebus momenti ea mutatio erat quae ipsis moribus facta est. nam immunitates non modo publicam Comitum iurisdictionem olim in totum regnum aequaliter extensam grauibus defectionibus imminuerant, sed et ipsam Comitum conditionem confutauere. enimuero imperia quae dominis immunibus competebant paullatim magis dominationi terrae naturali iure adcedere quam principalem obtinere locum uidebantur. qua contemplatione et Comitum ita imperia adtenuari coepere ut ipsi potestatis suae terminis eodem paene quo immunitatum possessores iure dominari atque eamdem in pagenses quam Seniores in homines suos exercere auctoritatem censerentur. nec dubium quin saepe Comites ut ita re uera fieret omni qua ualerent potentia usi sint. supra dictum est qua iniuriarum uexatione multi Comites pagenses suos ad traditionem commendationemque bonorum ac personarum coegerint. ita plerique liberorum ex obedientia mere publica in priuatam erga eosdem uiros subiectionem redacti sunt et terra quae publica magistratuum auctoritate regenda erat in propriam dominationem transiit. ut olim Seniorum Immunitates ad rationem Comitalis imperij a quo partiaria distractione eximebantur ordinatae sunt, ita iam e contrario Comitatus Immunitatum naturam imitati sunt. ea reciprocatione utraque potestas et publica et priuata in unam fere speciem moribus redacta est, quae certe confusio maxime prorsus ex utroque principio coalituris territoriorum dominationibus conduxit.

Plane Comites et Seniores unius eiusdemque classis erant. utrisque eadem nobilitas terrae hominumque dominationibus fundata, eadem quum in prouinciis tum apud Regem conditio. Seniores enim plerique uastorum auitorumque praediorum possessores erant, ex quibus et Comites sumebantur. utrisque aequales uasallorum hominumque copiae obsequebantur. ipsi paribus uasallitij nexibus Regi obligati, pari honorum beneficiorumque conlatione insigniti erant, pro uasallitate alteri, alteri pro munere publico. quippe ea beneficia quae Comitatibus adtribuebantur posthabita iam publicorum officiorum consideratione tamquam ipsa principalia mox honorum adpellationem obtinuerunt. cf. Roth pag. 432 seq. inde effectum est ut reapse imperia publica ipsorum beneficiorum ius sequerentur. post quam igitur ea ex caussis hic non amplius tractandis hereditaria facta sunt ceteris iam hunc in modum mutatis consequens erat ut Comitatus ac Senioratus per mutuam adsimilationem etiam iure aequandi essent. hic iuris ordo iam patet ex collocatione uerborum in Karoli Calui Edicto Pistensi a. DCCCLXIIII. c. 8. ET IN OMNIBVS CIVITATIBVS ET VICIS AC VILLIS TAM NOSTRIS INDOMINICATIS QVAM ET IN HIS QVAE DE IMMVNITATE SVNT VEL DE COMITATIBVS ATQVE HOMINVM NOSTRORVM SIVE CVIVSCVMQVE SINT PER OMNE REGNVM. hic enim uidemus ad ipsam Regalem potestatem iam non ea referri quaecumque per publicos magistratus administrarentur sed ea tantum quae ad fiscum Principis pertinerent. cui obponitur indiscrete quidquid Seniorum, Comitum, Vassorum Dominicorum imperiis regeretur. Immunitas et Comitatus in unum confunduntur. et habuit ita se res.

Proximum ergo erat ut Comitalis ipsa dignitas communicaretur cum Senioribus utque iura ex diuersis fontibus in aequalitatem publicorum officiorum conlata ipsis officiorum titulis cumularentur. quod qui effectum sit quaque ratione Karolingici imperij officia et dignitates in patrimonialem abierint hereditatem nobis non est adcuratius disquirendum. iam ex priuilegiis Regum qui illa aetate regnabant collegendum est Imperatoriam auctoritatem conlata iura etsi naturaliter publica accipientibus IN PROPRIVM dedisse, saepius et expressam alienandi ceterorumque plenae proprietatis iurium libere et potestatiue exercendorum et quemlibet ad modum transferendorum facultatem adiecisse. inde Comitatuum tituli et imperia in modum rerum familiarium omni commerciorum genere distracta uersataque sunt. totum imperium obliteratis

ueterum pagorum diuisionibus in noua territoria distributum est quorum domini indistinctis possessionum potestatumque suarum caussis una dominationum ratione comprehensi sunt.

VT SENIORES PRO HOMINVM SVORVM HERIBANNO MILITIAS FEVDALES INSTITVERINT

§ 46. Cuius conditionis quae in re militari uis fuerit perpendenti manifestum est iam non congruens fuisse ut Seniores cum hominum suorum copiis diutius ex antiquo ordine Comitum imperiis subiecti essent. quod necessario factum est ubi primum Senioribus permissa est Heribanni et Comitiuae in ius proprium adquisitio. huiusmodi nempe adquisitionibus aequalem in homines suos potestatem militarem adsecuti sunt. illos iam ex arbitrio licuit uel ad heribannum Imperij cogere uel dimittere. at dimittendi plerumque re ipsa necessitas obtinuit quum rusticorum plurimi magis magisque ad belli munera inertes uiderentur et sperata potissimum dimissio commendationum incitatio praecipua frequentissimaque conditio esset. interea Imperium semper exercitibus eguit neque minus quam antea Seniores praestandis quibus opus esset militum copiis obligati erant. itaque qui sua interesse arbitrarentur homines suos quibus ex antiquis legibus militia suscipienda esset domi relinquere, aliud quid in uicem substituere debebant, quandoquidem plerique praeter publicum officium etiam uasallitica fide tenerentur Regi ad bellum arcessenti obsequi. inde consequenter ex antiqua heribanni Karolingici ordinatione ad feudalium militiarum obligationes transitum est.

Nam Seniores quum homines suos ab agrorum cultura aliisque ciuilis uitae negotiis auertere nollent, publica sua et uasallitica officia per eos quibus perpetuum negotium esset militia quique armis praecipue essent exerciti exsequi instituerunt. quae quidem facillima erat consequentia ex ratione illa qua Merouingorum aetate proceres se armatis famulorum copiis in satellitium ac defensionem circumdare soliti

sunt, unde postea nonnulla parte principia duxisse uasallitatem memorauimus. ex uasallitatis ergo elementis et ditione coeperunt quae opus erant suppeditari. nam ex uasallorum arcta obligatione et iurata in obsequium totius uitae fide uisa est optima orta esse conditio qua pararentur aptae ad perpetuam militiae disciplinam copiae. certe meliores ea ratione conducti sunt exercitus quam qui ex inuitis rusticis comparari possent. equestris potissimum militia instructior inde robustiorque facta mox eximio excelluit honore.

Ad deuinciendos igitur alendosque uasallos continuatae et in ampliorem usum prolatae sunt Beneficiorum concessiones. quae deinceps ita obtinuerunt ut generali ordine censerentur necessaria conditio uasallitij, uasallitium autem naturaliter ex beneficiis deberi intellegeretur. ita ambae conditiones distingui desierunt. at uasallitatis officia certius definita et praecipue posita sunt in militia per propriam personam cum armatorum comitatu praestanda. quae obligationes pro praedicta Beneficiorum ac Vasallitij coagmentatione iam ipsa rei possessione contineri uisae sunt. ex illo rerum nexu in uicem personalis constituto processit ordo Feudalis. iam ante finem seculi X. occurrit nomen FEVDVM pro prisca Beneficij adpellatione. huc autem non ut antea in precariis praedia tantum adnumerata sunt sed iura quaestuosa omnia etiam publica ueluti uectigalia, iudicia, officia, imperia rei publicae ad summam usque Regni potestatem summaque ipsa regimina. ita omnes rerum hominumque rationes et conditiones in ista uasallitij et infeudationum uincula deductae sunt.

DE PROFECTV FEVDALIS MILITIAE ET ORDINIS EQVESTRIS

§ 47. Militia feudalis cito profecit et extensione ac stabilitate feudalium nexuum firmata est. mox parium caussarum et conditionum perpetuitas filiorumque successio in sortem ac ministeria patrum beneficiorum hereditatem induxerunt. quod solo adnecti solitum erat in formam firmiorem consoli-

daretur necesse fuit. ita postquam in dies saepius euenit ut beneficia hereditario iure conferrentur, consuetudo moribus probata etiam Edicto a. MXXXVII. a Conrado II. Imp. legitima per Italiam sanctione confirmata est. adcessit quod plurimi etiam de locupletioribus soli possessoribus honore et emolumento feudalis militiae in potentiorum dominorum necessitudinem adlecti allodia sua ultro offerrent in feuda recepturi, id quod ante precariae caussa fiebat. exempla uide ap. Walter § 216. 6.

Inde militiis perpetuis et beneficiorum hereditate singularis separatusque ordo euasit eorum qui militari sese uitae addixerant prae ceteris quicumque domi aliis negotiis uersarentur. ante omnes eminuerunt ingenui uasalli qui propriis cum comitatibus militiam equestrem agebant, ad quos praecipue pertinuit nomen MILITVM, *Ritter*, *Chevaliers*. mature ceteros ordines excellenti dignitate obscurauerunt et ius militiae equestris militarisque cinguli tamquam sibi proprium obtinuerunt. sic uitae cultu ac splendore, facinorum gloria, educationis rituumque quasi initiatione, auitis feudorum possessionibus continuataque dignitate coaluit propria honestiorum familiarum hereditariaque classis. cui demum ij adscribebantur quorum aeque pater auusque ordine equestri militassent, qui inde praedicati sunt Militari genere nobiles, *Ritterbürtige*. illi praecipue iura atque honorem antiquae Germanicae libertatis retinuerunt uindicatamque soli continuauere, quam ceteri per subiectionem conditionem suarum uitaeque ac ministerij humilitatem amiserunt.

Qua ratione inferioris sortis uulgus id est Seniorum homines qui ex antiquis Imperij legibus heribanno obsequi debebant, iam militia solutos cum bona pace in negotia sua incumbere licuit a Senioribus feudalibusque quas illi sustentarent copiis defensos. sed ut laboris ita honoris expertes erant, unde splendore militaris cultus orbati haud minus de pristina auctoritate ac libertate deciderunt. aucto in dies discrimine separati sunt ab iis qui se in uasallitium et nobiliora militiae

munera commendauerant. eorum inde uiuendi ratio, possessiones, commendationum quas inibant conditiones, praestationes, operae, aliorum excellentia in ignobilitatem depressae sunt. nec tamen gratis aut sine mercede a militia uacabant. sed quod corpore et sanguine praestare desierant iam aliis rebus compensandum erat. qua in re utilis uisa est consequentia ex iis Karoli Magni constitutionibus quae praestandum pauperioribus heribannum pro remissa personarum praesentia certa coniectus siue adiutorij pensione constare iusserant. postquam igitur Seniores uelut supra ostendimus heribanni in homines suos iura, militarium munerum exsecutionem mulctarumque proprio nomine exactionem adepti sunt, arbitrio suo permissum habebant qualiacumque pensionum tributa pro uacatione militiae hominibus indicere. ita omnis ordinatio stipendiorum huc spectantium penes Seniores erat qui ea plerumque ratione rem instituerunt ut prisca pro heribanno adiutoria commutarent cum perpetuo uectigali pro rata portione inter mansos territorij sui distributo, *heresture*, *heriscilling*. cf. exempla ap. Walter in adnot. § 217. 3. uide etiam Zoepfl § 49. IV. cum adnot. 8..11.

SVMMA HVCVSQVE TRACTATORVM

§ 48. Quodsi ex hucusque tractatis conditionem hominum Aduocatitiorum collegerimus, id est eorum quicumque sub Senioris potestatem deuenerunt, iam adparebit eos quoad quattuor illa quae praecipue considerauimus capita interposita Seniorum dominatione a directo Imperij iure prorsus interceptos esse.

I. Propriam de hominibus suis Iurisdictionem Seniores quum ex Immunitate adepti sunt tum generali iudiciorum inferiorum adquisitione, de qua utpote arctius cum personarum conditionibus cohaerente specialiter infra agendum est.

II. Heribannum et militaria imperia qua ratione Seniores adquisierint modo explicauimus.

III. Ipsa subiectione sub iurisdictionem et militare imperium effectum est ut homines grauibus territorialium inde tributorum indictionibus subditi essent. iam ex immunitatibus nec non singularibus adquisitionum titulis teloneorum et ceterorum uectigalium complexi sunt Domini eminens propriumque sui fisci ius.

IIII. Necessario aduocatitiae dominationis profectu competiit id quoque Principibus ius ut rationem usumque publicae territoriorum hominumque administrationis nouis legibus ferendis ordinarent. exinde quod ipsis iam iuris reddendi, rei militaris, ceterorumque ciuilis imperij munerum cura et regimen esset, naturaliter etiam summae gubernationis legumque ferendarum potestates adepti sunt, quarum concursu atque coniunctione temporumque opportunitatibus denique plenum ius Superioritatis Territorialis coaluit.

CAPVT QVINTVM. QVAM VIM HABVERINT SVPRA EXPOSITA IN TOTIVS IMPERII AC IVDICIORVM ORDINATIONE

SENIORVM HOMINES A COMITVM IVDICIIS RECEDVNT ET SVB ADVOCATIAS SVBIICIVNTVR

§ 49. Aduocatitiorum hominum directus cum Imperio nexus iam de facto omnino sublatus erat. postquam igitur illam conditionum in numerosissima hominum classe mutationem quoad personarum ac territoriorum rationem considerauimus, nunc examinandum uidetur quid inde in ordinatione totius Imperij generalique ciuitatis statu processerit. Immunitates, Vasallitas, Beneficia, Feudalis ordo, quamquam haec omnia maximam demonstrauimus uim habuisse ad commutandas priuatas ciuium conditiones, aliis in nouam ditionem redactis, aliis ad noua dominatuum fastigia elatis, tamen publica

Imperij officia non sustulerunt. immo quasi coagmentata sunt cum iis, nec nisi coagmentatione ea paullatim inchoata est istarum in toto reip. statu nouationum series iam commemorauimus ex illorum temporum ratione iurisdictionem quasi caput et fontem omnis publicae administrationis habitam fuisse. arcte igitur cum totius ciuilis ordinis natura et uicissitudinibus coniuncta fuit. sic in eadem posita sunt prima Immunitatum fundamenta quibus in uniuersum posteriorum mutationum elementa continebantur. quarum qui fuerint intra immunes ipsos terminos effectus supra expositum est. principale erat ne quis publicus magistratus fines exemtos ingredi auderet. sed hac norma nexus liberorum in immunitate hominum cum regiis extra immunitatem officiis non prorsus tollebatur. id tantum constabat ut praeberetur per Seniores aduocatio. hominibus Aduocati aderant qui defensionem potentis domini cui se illi commendassent repraesentarent et caussas quam expeditissime in Comitum iudiciis peragendas procurarent. inde Seniorum homines non ipsi directo a ministris reip. compellari ac protrahi debuere sed per patronos suos ad placita adducebantur. cf. Hlud. II. Conu. Ticin. III. a. DCCCLV. 3. quae procuratio paullatim in tantum amplificata est ut commendatis hominibus omnino praesentia in Comitum placitis remitteretur, quum Aduocati soli rebus expediendis adessent. id iam Karoli Calui tempore obtinuisse perspiciendum est ex Edicti Pistensis a. DCCCLXIIII. capite 32. VT CONLIMITANEI ET VICINI COMITES IN VNA DIE SI FIERI POTEST MALLVM NON TENEANT MAXIME POST OCTAVAS PASCHAE PROPTER FRANCOS HOMINES ET ADVOCATOS QVI AD VTRAQVE MALLA NON POSSVNT OCCVRRERE . . . ET IPSE SIC MALLVM SVVM TENEAT VT BARIGILDI EIVS ET ADVOCATI QVI IN ALIIS COMITATIBVS RATIONES HABENT AD SVVM MALLVM OCCVRRERE POSSINT. inde collegimus mallis Comitum non ut antea liberos omnes interfuisse quicumque degerent intra Comitatuum fines, siue antiquae libertatis integritate gauderent siue ex priuata immunitate penderent. immo illa malla iam constiterunt ex iis solis ingenuis qui a

potentiorum aduocatia usque liberi solam reip. ministrorum potestatem antiquo ordine agnoscerent, quos Edictum Francos homines et Barigildos praedicat, tum e ceterorum Aduocatis. illi enim qui a prisca libertate defecerunt iam neque ingenuorum plena libertate gaudentium pares neque una cum his publicarum concionum communione digni existimabantur. nam qui proprietatis antiquam integritatem commendatione amiserunt ad ius atque honorem Scabinatus in Comitum placitis quibus interesse desierant, haud idonei uisi sunt. quare non amplius ipsi in illis placitis ius sibi quaerebant sed Aduocatiarum ius experti sunt iam non cum Imperio nisi per Seniores suos cohaerentes. quod plane conuenit cum eo quod de Immunitatum et Senioratuum incrementis collegimus. haec rerum ratio in Speculo Saxonico exprimitur distinctione eorum iudiciorum quae Dominus terrae iure proprio *bi sines selues hulden* exerceat atque eorum quae sub Banno Regio id est directa adhuc Regis et Imperij auctoritate agantur.

IVRISDICTIO DE HOMINIBVS ADVOCATITIIS DOMINORVM TERRAE PROPRIA FIT. CONSTITVTIONES A. MCCXXXI. ET MCCXXXII.

§ 50. Illa igitur iudicia quae a terrae dominis proprio iure instituebantur principium duxerunt ex Immunitatibus. hae uero commendationum frequentia uariisque concessionum titulis eo extensae sunt ut mox competentes priscis Centenis fines interceperint atque comprehenderint. sed omnium grauissimum erat quod Comitatuum iura in Seniorum dominationem cederent, unde libere adquisitionibus permissa in commercia patrimoniaque hominum abierunt. ita Comitatibus Centenisque multifarie diuisis et concisis Seniores noua territoria fundauerunt et complexi sunt in quibus quum superiore tum inferiore iurisdictione potirentur.

Nec tamen hae iurisdictiones ex hereditate iurisque proprietate desierunt tamquam officia directo ordine ex Imperio

pendentia haberi. sed ipsa rei natura factum est quo maturius in iudiciis inferioribus euanesceret illa publici officij species. etenim ex proprio dominio proprioque in homines subditos iure quae ueterum Immunitatum principia erant, multo strictior eualuit potestas quam quae postea ex Comitali iure adcedens etiam plene liberos homines liberaque praedia complectebatur. quare discernendi homines qui sub priuata Seniorum potestate et aduocatia uersabantur ab ingenuis plena libertate gaudentibus qui iisdem utpote Comitibus una publica auctoritate subditi erant. hi soli ex Edicto Pistensi supra laudato ad placita generalia siue iudicia Comitum conuenerunt. illa distinctio magis magisque cum priore superiorum atque inferiorum iudiciorum confundi, mox prioris omnino uicibus fungi uisa est. eo uentum est per creberrimas pauperiorum commendationes, permixtis Senioratuum ac Comitatuum iuribus, ex quo cumulati Comitali imperio Seniores liberiorem Centenarum ex arbitrio ordinandarum potestatem adsecuti sunt. ita Comitatuum officiis sub directa Imperij praefectura custodiaque manentibus, Centenae ad priuatam Seniorum dominationem pedetentim deciderunt et cum Aduocatiis confusae sunt. quamquam uterque potestatum gradus in hereditarium ac patrimoniale ius transierat, in Comitatibus tamen solis publica potestatis natura seruata est. Centenae ab Imperio separatae erant. hoc discrimen non satis animaduertit Zoepfl in adnot. § 125 a. 13. hoc primum expresse notatum ac legitima sanctione confirmatum est celeberrimis legibus Heinrici Regis Statuto in fauorem Principum in Curia Wormatiensi a. MCCXXXI. et constitutione Friderici II. Imp. in Curia Sibidati a. MCCXXXII. ITEM VNVSQVISQVE PRINCIPVM LIBERTATIBVS IVRISDICTIONIBVS COMITATIBVS CENTIS SIVE LIBERIS VEL INFEODATIS VTATVR QVIETE SECVNDVM TERRE SVE CONSVETVDINEM APPROBATAM. ITEM CENTGRAVII RECIPIANT CENTAS A DOMINO TERRE VEL AB EO QVI PER DOMINVM TERRE FVERIT INFEODATVS. ITEM LOCVM CENTE NEMO MVTABIT SINE CONSENSV DOMINI TERRE. ITEM AD CENTAS NEMO SINODALIS VOCETVR.

§ 51. Videre est illas constitutiones Comitatus et Centas promiscue commemorare tamquam propria Principum iura haud secus competentia quam ceterae soli possessiones siue libere id est iure allodiali siue iure feudali. at Centae exin praedicantur utpote coniunctius cum terrae dominio cohaerentes, quodam modo tamquam soli adpendices. inde terrae domini Centenarios creant, Centas ex arbitrio instituunt, disponunt, in feudum dant. illorum consensus sufficit ad mutandos locos Centarum, id est ut libere statuant de iudiciorum ordinatione et sedibus, regionum finibus, munerum partibus.

Illa potestate Domini plena usi sunt. inde antiquae Centenae in frusta concisae aliisue frustis auctae, aliae ad alia Comitatuum territoria translatae, uariis possessionibus permutatae, recentioribus territoriorum diuisionibus saepenumero obliteratae sunt. nam postquam noui dominationum circuitus formam totius regni a pristinis pagis omnino diuersam effecerunt, necesse erat ut et nouae eae regiones in partes melius conuenientes digererentur. inde plerumque nomina Aduocatiarum aut Officiorum *(Ämter)* quibus praeerant Aduocati, Officiati, Praepositi, Sculteti. quae territoriorum ordinatio non parum ad parandam unitatem contulit. cf. Walter § 289. 291.

HOMINES SYNODALES SVPERIORE IVDICIORVM ORDINE A CETERIS DISTINGVVNTVR

§ 52. Ex eo quod Centae in proprium Principum ius transierant consequebatur denique iam non fieri posse ut ingenui qui Dominos terrae haud secus ac publicos magistratus agnoscebant in iudiciis illorum quae priuata iam euasissent ius sibi peterent. ij sunt Franci homines siue Barigildi qui ex Karoli Calui Edicto Pistensi soli iam cum Seniorum Aduocatis in malla Comitum conueniebant, exclusis Aduocatiarum

hominibus. ex illis porro solis delegendi erant secundum Karoli Magni constitutionem Scabini qui Comitum placitis adsiderent. quia autem munere Scabinatus possessio soli desiderari uidebatur, illi uero ingenui in uniuersum melioribus fortunis integritatem libertatis suae sustinebant, mox illorum processit egregius prae Aduocatitiorum sorte ordo conditionibus, dignitate, maiore existimatione insignis. utpote quibus solis competeret Scabinorum iure Comitum placitis siue synodis *(Send)* adsidere praedicati sunt tamquam praestantes IVDICIARIA DIGNITATE, SYNODALES HOMINES, *sentbare frimannen, sempermannen, scepenbare vrie (Schöffenbarfreye)*. eorum igitur libertati nullo medio ex Imperio pendenti fieri non potuit quin male congruens uideretur in Centis propriae Principum iurisdictioni eos subiici. unde ut eximerentur necessarium fuit. quod expressis uerbis Statuti in fauorem Principum ita constitutum est, AD CENTAS NEMO SINODALIS VOCETVR.

RATIO SPECVLI SAXONICI

§ 53. Hac uia processit e Karolingici imperij ordine ratio ea rerum quae Speculo Saxonico exprimitur. sic uti iam regnante Karolo Magno constabant duo iurisdictionis gradus. sed duplici discrimine. nam in superiore tantum iurisdictione durauit Imperij auctoritas publicique officij natura. quae quia directo a Rege et Imperio descendebat, sub Banno Regio exercita est. Bannum autem Regium Rex solus conferre ualuit. Spec. Sax. III. 64. § 5. neque cuiquam nisi qui a Rege accepit sub Banno Regio iudicare licuit. Spec. Sax. I. 59. § 1. inferior uero iurisdictio ad ius proprium Dominorum terrae decidit atque obliterata iuris publici specie mere res priuatae ditionis facta est. alterum discrimen atque mutatio fuit quod utriusque gradus distinctio iam non secundum illam Karoli Magni constitutionem ex natura caussarum sed ex personarum conditione facta est. superior igitur iurisdictio

exclusis quicumque sub Domini aduocatiam deuenissent, propria cesserat illis ingenuis quorum libertas directo ordine sub Imperio floruit. qui inde liberi homines iudiciariae dignitatis praedicati soli Scabinorum munere tribus placitis legitimis *(echte dinge)* intererant iudiciisque Comitis quaecumque sub Banno Regio in legitimo iudicij loco *(echte dingstatt)* agebantur. Spec. Sax. I. 2. § 2. I. 63. § 2. III. 61. § 1. III. 69. III. 81. § 3. solum illud publicumque ex personarum ac praediorum libertate munus. praeterea pro integro proprietatis suae iure nullis obligationibus adstricti erant. Spec. Sax. I. 2. § 2. sic Imperij auctoritate omnibus iura reddiderunt. Spec. Sax. II. 12. § 4. III. 69. § 2. ipsi uero pro sua suorumque bonorum libertate nisi in legitimis illis placitis ius experti non sunt. ubi scilicet controuersiae de plena proprietate *(echtes eigen)* et caussae capitales *(ungericht)* de uita, integritate, honore hominis Synodalis agerentur, ibi non alij quam pares dignitate ac genere Scabini sub Banno Regio in loco iudicij legitimo ius dicere ualuerunt. Spec. Sax. I. 59. § 1. I. 67. § 1. II. 12. § 4. III. 19. III. 26. § 2. III. 61. § 1. sed si quis illorum capite plectendus fuit, solus legitimus apparitor *(de echte urone bode)* iudicium exsequi debuit. Spec. Sax. III. 55. § 2. ab illa libertate, illa iuris excellentia, illa iudiciorum legitimorum communione defecerunt Aduocatitij homines qui superioribus iudiciis exclusi priuatam inferiorum iurisdictionem subirent. nam nec possessiones eorum pleno constabant proprietatis iure de quo nisi sub Banno Regio iudicari esset nefas neque personae eorum eius libertatis ac iurisdictionis participes erant quae antiquo directoque ordine a Rege et Imperio descendebat. quare etiam capitales eorum caussae ad inferiores territorij iudices pertinuerunt. Spec. Sax. I. 59. § 1. I. 63. § 2. III. 70. § 1. et passim. sanguinis super eos bannus iam Centis adcreuit. cf. Walter § 214. 3. §. 291. 4.

§ 54. Itaque homines isti Aduocatitij una cum Centarum iurisdictionibus a directa Imperij communicatione prorsus excludi uidebantur. quo quidem primus Superioritatis Territorialis gradus fundatus consummatusque est, subiectis uidelicet numerosissimis infimae sortis hominibus sub propriam Principum potestatem. nam ex illa subiectione isti prorsus nequierunt tamquam ciuitatis ac rei publicae participes haberi sed tam quam singulorum territoriorum pars et mere subditi. potestatem in eos proprio iure Principes exercuerunt, non quod etiam post redacta in hereditates officia ualebat iure publico. item territoria quae sub istius modi regimine erant iam non publicae administrationis prouinciae sed potissimum pars dominij uidebantur.

Illum rerum statum Constitutiones a. MCCXXXI. et MCCXXXII. legitima sanctione consummauerunt. inde uis earum singularis, ut quae primae ordinem rerum publicarum funditus euersum comprobasse uideantur. iam ipsius Imperij auctoritate corroborata est unius Regni transitio in particulares dominatus mutataque foedere Principum ciuitatis unitas.

Animaduertendum id quoque tum primum occurrere ut singulorum territoriorum rectores adpellatione Dominorum terrae designentur, quae manifesta translatio est ex Teutonico nomine *Landesherrn.* at propria ea summae in Regno potestatis adpellatio facile demonstrat quantum in fastigium Principes iam elati fuerint, ut quibus fundata proprio patrimonialique iure libera et absoluta in territoriis suis potestas supremumque imperium adsereretur.

Qua cum re si uicinum Franciae exemplum in transitu conferre licet, simili territoriorum uice per eamdem fere aetatem adplicatum est ad Dominos nomen *Souverain.* nempe ex caussis iisdem eadem processerunt et ab ordine Karolingici imperij deducta est par iuris territorialis ratio. cuius

coaeuum documentum facere nequeo quin citem ex insignibus uerbis quibus utitur Beaumanoir in suo *Liure des Coustumes de Biauuoisins, Cap. XXXIV. 41. Porceque noz parlons en ce liure en plusors liex du sourain et de ce quil pot et doit fere li aucun porroient entendre porceque noz ne nommons ne duc ne conte que ce fust du roy. mais en toz les liex que li rois nest pas nommes noz entendons de cix qui tienent en baronnie. car cascuns barons est sourains en se baronnie.*

CAPVT SEXTVM. EXSTINGVVNTVR HOMINES SYNODALES ET ABSOLVTE MVTATVR GERMANICA LIBERTAS SVBIECTIONE TERRITORIALI

DE LIBERTATE SYNODALIVM IVRI PRINCIPVM AEQVALI

§ 55. Ex iis quae explicauimus hucusque euenit ut publica Imperij auctoritas solis Principibus atque hominibus Synodalibus constaret. utrique integritatem conditionis mere ex Imperio pendentis soli seruauerunt, eadem utrique iuris plenitudine. utrisque igitur par eorum munerum communio quae antiquae libertatis ciuilis erant. quae Principum aequalitas Synodales uiros alto spiritu inflauit et integri personarum ac plenae proprietatis iuris conscientia extulit. cuius plura in Speculo Saxonico documenta reperimus. ita in III. 45. § 1. *Vorsten. urie heren. sepenbare lüde de sin gelik in bode unde in weregelde.* sed non in mulctis et compositionibus tantum illa aequalitas obtinuit. quid etiam in fori competentia ualuerit supra exposuimus. cui uere nil derogauit forum priuilegiatum quod Principibus in caussis capitalibus coram Rege competebat secundum Spec. Sax. III. 55. § 1. huc praeterea

spectat officiorum Imperij capacitas ex antiquo ordine haudquaquam inminuta, quam redacti in Principum ditionem homines reapse amiserant. quod exprimitur sententia Speculi Saxonici in III. 54. § 1. *Len ane gerichte en mot neman hebben he en si scepenbare uri.* de quo cf. Homeyer *Syst. des Lehnr.* § 61. I. quibus in officiis inlibata Imperij auctoritas ex ipsa iurisiurandi forma adparet quod simplici liberaque ciuilis fidei munerisque ex officio implendi sponsione concipiebatur, *hulde na uries mannes rechte.* quod contrarium erat feudali iuramento quod pro traditis in feudum rebus muneribusque iuris priuati praestandum erat. cf. sententiam Speculi Saxonici III. 64. § 5. *Ban lit man ane manscap.*

PROSPECTVS

§ 56. Itaque ut perficeretur omnium quorum libertas directo nexu cum Imperio cohaeserat transitio in proprium ius Principum, unum addendum erat. quod consummari potuit ubi in superiore Synodalium hominum et Comitalis iurisdictionis ordine eadem mutatio obtinuit quae iam in inferiore Aduocatitiorum et Centarum absoluta erat. cuius rei efficiendae facultas Principibus erat. reliquum erat ut singularem non nullorum fortunam in ordinarias ceterorum conditiones et in nexus potestatis suae iam perfectae traherent. promtum iter patuit quo breui cursu ad exitum progredi licuit. nec tamen omnia singillatim explanabimus. satis est caussas generatim exposuisse quae rapidiore processu Synodalium hominum dignitatem libertatemque aboleuerint ac postremo uniuersas hominum conditiones propriae Dominorum terrae potestati submiserint. ad quod quid priscis Comitum iudiciis effectum sit adeo pertinet ut mutationis utriusque personarum ac iudiciorum parem habere rationem debeamus.

VT SYNODALES IN DIVERSAS CONDITIONES ABIERINT ET EXSTINCTI SINT

§ 57. Hominum Synodalium conditio temporum ac rerum rationi iam non bene consentanea erat neque congruebat cum nouo hominum officiorumque ordine qui in antiquum Imperij statum successerat. uidebantur reliquiae temporis praeteriti a quo animi hominum alienati essent, monumenta priscae disciplinae quae iam non intellegeretur, monumenta nempe Germanicae illius libertatis quae splendide olim uiguerat, tunc autem contra tempestatum uim resistere iam non posset. in diuersas partes ut aetatis ratio ferebat direpta est Synodalium libertas. at eius aetatis peculiare erat ut eximio honore quam maxime distincti a ceteris haberentur qui se totos ad studia armorum contulissent. in militaribus muneribus honestiores quique uersabantur, qua de causa omnis rerum hominumque habitudo ciuilisque ordinis instituta a ratione militiae deducta sunt. consequens erat ut aequali contemtui haberentur ceterarum conditionum homines quicumque recessissent a militiae munere et honore operamque agrorum culturae uel aliis paganae uitae negotiis darent. cui distinctioni conueniens etiam in publico ordine duplex iuris officiorumque conditio exstitit et separatas personarum sortes duplex nexuum forma amplexa est.

§ 58. I. Equestres uiri re ipsa circum Principes utpote bellorum ac militiae duces congregabantur. domi congregatos continebat usus et disciplinae communio. inde naturaliter uasallitatis uinculis comprehensi sunt. ita nexus Vasalli cum Seniore omnino ad militarem ordinem adcommodatus est neque iam ad ullam aliam conditionem spectauit. dignitas equestris et feudi capacitas in promiscuo habitae, Milites et Vasalli in unam eamdemque classem confusi sunt.

II. Altera ex parte quicumque ab opera et cultu armorum alienati erant paullatim pariter omnes in numero ignobilium habebantur. honore nempe minuti ut qui illa aetate in uno militari decore positus esset, more effectum est ut existimatione mox et iure minuti uiderentur. non placebat ut iuris ac libertatis aequalitate fruerentur. sed congruens putabatur qui non sanguinem, eum saltem pecuniam pendere, itaque ex antiquo Germanorum sensu integritatem libertatis amittere. inde rusticitas, conditio censilis, subiectio sub Dominum terrae, una ratione in uicem communicatae sunt.

§ 59. Inter utramque classem erant homines Synodales a neutra ita distincti ut aduersus unam alteramue propriam sibi conditionem usque adquirerent. itaque in alterutram confundi eis destinatum erat. quam dissolutionem consequenter effecit rerum militarium ratio aliis omnibus conditionibus praecedens. homines Synodales soli antiquorum liberorum supererant qui neque in uasallitia neque in aduocatias transiissent. at quae caussae utrique conditioni plurimos subiunxerant eaedem sine mora usque profecerunt. Synodales igitur ex antiquo quem sustinebant Imperij ordine militiae heribanni obnoxij erant, id quod aliis quidem acceptum erat, molestum aliis. atque hi quidem militiae remissionem ut olim aduocatitij censibus aut alia iuris deminutione emerunt. itaque conditionum aequalitatem inierunt cum aduocatitiis aliisue liberis rusticis qui Dominis terrae subditi degebant. abiere in rusticitatem.

§ 60. Illi autem qui sponte militari disciplinae cultuique operam nauauerunt reapse eo adducti sunt ut ad ceteros milites sese adiungerent eosque uasallitate imitarentur. quae communicatio quam in promtu fuerit iam adparet ex enumeratione Clypeorum (*Heerschilde*) in Spec. Sax. I. 3. § 2. ubi promiscue Dominorum uasalli et uiri Synodales ad quintum Clypeum adscripti sunt. re uera quam celeriter in quibusdam saltem Regni partibus amborum effecta sit confusio inde collegendum est quod iam Speculum Sueuicum in enumeratione utrosque uno non Clypeo tantum sed nomine complectitur. Spec. Suen. edit. Wackernagel 5. *die mittern vrien den fünften.* cf. ibid. 2. iam obliterata est Synodalium distinctio. ingenui qui integra libertate et plena allodiorum

proprietate gaudebant Vasallis Principum admixti et militares feudorum possessores facti sunt.

§ 61. Diutissime in urbibus ius antiquum Synodales retinuerunt. diutius ibi seruata sunt Karolingica instituta, tria placita legitima, iura scabinatus. quae omnia sensim in alias formas nouaque municipiorum officia transferebantur. Scabini igitur possessionibus ac dignitate insignes plerumque ciuilis administrationis duces rerumque municipalium gerendarum, ordinandarum, noua ratione instaurandarum auctores uisi sunt. quum uariis sub titulis diu regimini officiisque publicis praefuissent, adscitis etiam nouis familiis quaecumque praeter municipes dignatione ac diuitiis excellerent, effecerunt illas Patriciorum gentes quae opibus, potentia, militari quoque gloria insignitae saepenumero praediorum et castellorum adquisitionibus, feudorum capacitate possessionibusque, armorum tractatione atque elegantiore uitae cultu, par generis conditionisque decus consorsque cum cetera militari feudalique nobilitate commercium obtinuerunt.

§ 62. Denique nonnulli Synodalium si qui forte melioribus conditionibus et rebus secundis praestarent, per omnes temporum uices se a feudalibus uinculis omnique Principum dominatione incolumes seruabant. illorum de statu ut quidquam detraheretur tantum aberat ut Superioritate Territoriali a se prohibita, suprema Imperij potestate in dies dilabente, mox in altiorem libertatis dignationisque gradum euecti sint. ex illis hominibus iudiciaria dignitate, antiqua libertate, plena allodiorum proprietate excellentibus, quibuscunque contigit, composita est pars Nobilitatis immediatae equestri ordine (*Reichsunmittelbare Ritterschaft*) quae usque ad exitum Regni Teutonici continuata per hominum aetates iuris honorisque integritate antiquam libertatem Germanicam sustinuisse uidetur.

VT ANTIQVA COMITVM IVDICIA IN PRINCIPVM DOMINATIONEM CONFVSA SINT

§ 63. Extremae illi personarum mutationi et priscae libertatis exstinctioni conueniebat ut et antiqua Comitum iudicia in territoriis Principum iure officioque directo ordine ex Imperio pendente priuarentur. quod ut ubique eueniat necesse fuerit satis consequens est ex istis uicibus quas hactenus euoluimus. sed qua id mutationum serie euenerit difficile uidetur singillatim persequi quum euentus non pari ubique ratione ac gradu sed per diuersissimas conditiones ac singulorum territoriorum uicissitudines obtigerit. quippe antiqua ea iudicia pari modo atque Centae per diuisiones pagorum prouinciarumque direpta, euersa, ad inanem nominis speciem redacta, aut prorsus dissoluta, modo mutata indole ac iuris dictione transierunt in noua territoriorum officia, modo subito euanescentia aut nouis nominibus abolita indagationem fallunt. non hic locus est quo confusionem istam nouorum nominum cum rebus antiquis, priscorum titulorum cum recentioribus institutis exactius perscrutemur. tantum principalia quaedam indicabimus.

§ 64. Iudicia Karolingicorum Comitum plerumque in nouis territoriis uaria adpellatione substiterunt, ueluti COMITATVS, COMITIAE, COMECIAE, IVDICIA PROVINCIALIA, *Landgerichte*. quia autem Comites utpote qui terrae domini facti essent iam non ex antiquo ordine Imperij officiis fungebantur, necessarium fuit ut in eorum uicem iudices substituerentur qui saepe sic ut aetate Karolingica VICECOMITES adpellati sunt, siue etiam IVDICES PROVINCIALES, *Landrichter*. hi sunt quos Speculum Saxonicum Comitum nomine designat. eorum iudicia sunt quae dicuntur *des greuen dinge*. quae quatenus instituantur sub Banno Regio et in legitimo iudicij loco proprie uidentur destinari controuersiis de plena proprietate et caussis capitalibus ingenuorum integra libertate gaudentium. hi uero utrum rustici an milites essent principio indiscretum erat.

in eo diplomatum documenta plene congruunt cum eo quod de conditione Scabinorum et ratione Speculi Saxonici retulimus. cf. e. gr. dipl. a. MCC. in Kopp *Hess. Grf.* I. n. 56. laudat. ap. Walter § 290. 7. cet.

Sed postquam illa iudicia non solum nouorum territoriorum confectione adtrita sed ab ipsis terrae dominis pignerata, uendita, in feudum data, omnimodis alienationibus et distractionibus diuisa erant, deuenerunt frusta eorum in ditiones diuersissimas. inde translatum Comeciarum nomen ad ea frusta, etiam ad antiquas ipsas Centas ubi banno sanguinis et plena de subditis hominibus iurisdictione aucta sunt. adde quod abiit in paucitatem uilitatemque ordo Synodalium. quam rem respicientes uasalli militaris generis ut qui magis atque magis altiore honoris gradu extolli se censerent, studuerunt ut a iudiciis recederent dignitati suae iam non conuenientibus, in contemtum et rusticitatem delabentibus. rem eo adduxerunt ut et ciuiles suas caussas ad feudalia iudicia deferrent, in quibus ipsorum pares sedebant. haec circa Dominos constituta uocabantur Iudicia Curiae Principis, *Hofgerichte*. ita principio merae Curiae Parium id est Vasallorum ad disceptandas iuris feudalis controuersias destinatae, mox ad se ciuiles quoque caussas militum tamquam ad forum ordinarium traxerunt. ex transitione illa quae summi habenda est momenti deserta sunt antiqua iudicia prouincialia dignitatemque amiserunt. exstincto ingenuorum hominum immediate ex Imperio pendentium ordine necesse erat ut et officiorum iudiciorumque immediate ex Imperio pendentium conditio exstingueretur.

EXITVS

§ 65. Ita omnia diuersis titulis uariaque rerum uersatione redacta sunt in proprium Principum ius. territoria, personae, officia a directo Imperij nexu abscissa sunt. ipsius Imperij corpus in Dominis terrae constitit. in his solis prisca Germanica libertas integra seruata est, immo exuberante iuris

amplitudine turgescens eoque praepotentiae elata ut antiquum omnem ordinem perrumperet. exinde Regnum Teutonicum unius rei publicae nomine concipi nequit sed uere plurium ciuitatum foedus dicendum est. exinde uia aperta erat qua fatali procliuitate ad exitium raptum est. at Superioritatis Territorialis fundamenta in solido condita erant. quidquid adiectum est ex iis quae iam fundata erant exstructum est, nisi quae fortuitis casibus non ipsa rei necessitate adcesserunt. itaque si quae praeterea adcreuere uel singularibus titulis adquisita uel magnis humanarum tempestatum uicibus ac fortunae opera admota sunt. alia regna periere aut libertatem suam perdidere ubi summi imperij uis potestatibus immodicis cumulata primores ciuium oppressit atque illud optimatum robur debilitauit aut corrupit quod in medio positum supra et infra excedentia continet ac temperat totamque rem publicam aequa demum libratione moderatur. Regnum uero Teutonicum ipsa procerum exsuperantia destruxit. enimuero ibi quoque uis optimatum exstincta est, non oppressione quidem, sed quia euecti ad suprema imperia nobiles e nobilitatis ordine exierunt, et qui ciuium duces, tutores, moderatores esse debebant, domini facti sunt. qua mutatione libertas Germanica occidit.

THESES

I. VT SERVITVS RE CONSTET IVRIS QVASI TRADITIONE OPVS EST.

II. NVDA POLLICITATIO DOTIS OBLIGATIONEM NON PARIT.

III. CODICIS NAPOLEONICI PACTVM DE RETRO EMENDO NON ALTERI EMPTIONI LOCVM DAT SED PRIOREM IPSAM SVB CONDICIONE RESOLVIT.

IIII. LITTERAE CAMBIALES OBLIGATIONEM NON NOVANT.

V. QVI VIM VITAE SVAE ADFERT NEQVE IVRE COMMVNI PVNITVR NEQVE OMNINO LEGIBVS PLECTENDVS EST.

VI. APPELLATIONES AB ABVSV MERE ECCLESIASTICO AD SAECVLARIA IVDICIA NON PERTINERE IVSTVM EST.

VII. SOLVM SVPERIORIS NOBILITATIS CRITERIVM PONENDVM EST IN HEREDITARIO IVRE SEDENDI IN PRISCIS REGNI TEVTONICI COMITIIS.

VIII. PARES FRANCIAE SVPERIORI GERMANICAE NOBILITATI PARES CENSENDI SVNT.

VITA

Natus sum ego ALPHONSE CHODRON DE COURCEL Parisiis die xxx. mensis Iulij a. mdcccxxxv. patre LOUIS JULES, matre HENRIETTE oriunda e gente Comitum BOULAY DE LA MEURTHE. liberalium artium literarumque elementis instructus sum quum domestica institutione tum in schola Parisiensi cui nomen est COLLEGE ROLLIN. postquam tentata in Sorbona scientia Baccalaureus Literarum factus eram numero studiosorum iuris Academiae Parisiensis adscriptus sum. at pater maxime profecturum iuueni ratus si disciplinam indigenam cumularem extraneis studiis quum maxime notitia linguae rerumque Teutonicarum a. mdcccliij. inter ciues Vniuersitatis Rhenanae recipiendum Bonnam adduxit. postquam in hac musarum sede ubi praestantis uiri FERDINAND WALTER non humanissima tantum doctrina sed suaui ac domestica consuetudine uti contigit, iurisprudentiae studia auspicatus sum, anno sequente Berolinum, dein peractis duobus ibi semestribus Monachium me contuli. mox in hac urbe graui morbo correptus tum ualetudinis tum persequendorum in patria studiorum caussa in Franciam me retuli. inde extremo a. mdccclvj. Bonnam reuersus studiis academicis rite perficiendis incubui.

Per hoc tempus scholis interfui Virorum Clarissimorum BAUERBAND, BÖCKING, DAHLMANN, PERTHES, SELL, WALTER Bonnensium, DIETERICI, HEFFTER, HOMEYER, RANKE, RUDORFF, STAHL, WAAGEN Berolinensium, DÖLLINGER, RIEHL Monachiensium. quibus omnibus quas debeam gratias non profiteri non possum, qui adolescentem peregrinum inexpertum summa beneuolentia amplexi sunt.

